INSVLÆ MATERIÆ
HISTORIA

Cui acceſſerunt Orationes duę habitę coram Smo D.N. Clemente Octauo in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, & Gregorio XIII. in feſto Aſcenſionis Domini, & alia latina monumenta.

Omnia

PER EMANVELEM CONSTANTINVM Funcalenſem Luſitanum, Sacræ Theol. Doct. edita.

AD PHILIPPVM III. CATHOLICVM HISPANIARVM, ET INDIARVM REGEM POTENTISSIMVM.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, ex Typographia Nicolai Mutij. M.D.IC.

EGo Fr. Ludouicus de Beja Perſtrellus Sacræ Theologiæ Doctor & Illuſtriſſ. Cardinalis Palæoti Theologus, perlegi Tractatũ de Inſula, vulgò dicta *de la Madeira*, & tres Orationes, necnon quædam carmina, quæ omnia cõtinentur vſque ad fol. nonageſimum, conſiderauiq. ſingula prout mihi fuit iniunctũ à Reuer. Admodum Magiſtro Sacri Palatij, nihilq. inueni fidei, aut bonis moribus cõtrarium, aut quod de Chriſtianorũ Principum dignitate detrahat, in cuius rei fidẽ manu propria me ſubſcripſi, die 10. Octob. 1596.

Ego Fr. Ludouicus de Beja Perſtrellus Theolog.

PHILIPPO

HOC NOMINE SECVNDO PORTVGALLIAE REGI INVICTISS.

EMANVEL CONSTANTINVS

Luſitanus patria Funchalenſis atq; Doctor Theologus.

S. P. D.

QVemadmodum Prometheus (vt ferunt Commentitiæ Poetarum fabulæ) cum humanum corpus luto finxiſſet, Minerua adiutrice, ignem è cœlo ſurripuit, vt opus illud imperfectum cœleſti mente animaret: Sic ego (REX INVICTISSIME) luteum hoc opus, non auſus (quod aiunt) ſine cortice natare, nomine tuo tanquam cœleſti igne illuſtrare decreui, cuius radijs ſplendeſcat, & à tenebtis in lucem reuocetur. Quare ſi cum Prometheo audax vt ſum, ita viſus fuero, eaſdem pœnas ſoluere nõ recuſabo, & cor meum tibi deuinctum Aquilę exedendum libẽtiſſimè committam. Non tamen ſum neſcius, quam facile ſit apud te veniam impetrare; cùm præſertim animi tui clementia me ad hoc tergiuerſantem incitauerit, & tanquam Minerua furto meo patrocina-

dicandas ſtatui, vt animum meum in tui amorem ſatis incitatum inſigni aliqua voluntatis meæ ſignificatione demonſtrarem. Si autem, vt ſpero, inter ea, quæ ab oculis tuis abeſſe non ſolent, locum dabis; vigebit apud te noſtri memoria, quoties ea videbis, toties animo tibi occurram; adero tibi abſens; tacitus ſemper tecum loquar; meq; eſſe de tuis ſubditis vnum, de ijs maxime, qui tibi aſſiduam operam præbent, qui tuo potiſſimum honori & vtilitati ſeruiũt, exiſtimabis. Quod, vt ita ſit, vehementer opto; & ſi aſſequor, feram in cœlum iſtam humanitatem; colam animo, tuebor officijs, & imitabor, quantum potero, ſtudio certè, ſi minus re licebit, tibi vt ſatisfaciam, elaborabo. In te autem vno acquieſco, tibi vni opus hoc placere cupio. Quod ſi aſſecutus fuero, omnibus placere arbitrabor, & ad alia elucubranda de tuis, maiorumq; tuorum laudibus, me quàm diligentiſſimè accingam. Vale, & me ama quo me mihi ipſi efficias cariorẽ. Romæ idib. Martij 1599.

MAIESTATIS TVAE

Humillimus ſeruus

Doct. *Emanuel Conſtantinus.*

AD

AD LECTOREM.

CVM omnia animo, rationeq́ luſtraueris, omnium Societatum nulla eſt arctior, nulla ſanctior, quam ea, quæ cum Patria vnicuique noſtrum eſt (vt ait Cicero). Quod grauiſſimi viri magno & exacto iuditio apud ſe meditantes re & conſilio eam adiuuare nō deſtiterunt: quod Ariſtides Athenienſis opere illo egregio comprobauit, quo adhuc exulans in patriam reuerſus præclariſſimam victoriam in bello contra Xerxem reportauit. Non abſimile illud Camilli, qui exulans apud Ardeates, cum Galli hac Vrbe incenſa Capitolium obſiderent, collecto tumultuario exercitu in eos mouit, & ſuos ciues obſidione liberauit. Quod illi armis, ego literis, quoad potui, efficere decreui, illosq́ imitari deſiderans hoc INSVLAE MATERIAE *Patriæ meæ opus in lucem edere decreui; vt quemadmodum*

modum illi armis, ita ego ſcriptis Patriam meam aliqua ex parte illuſtrarem. Has autem meas elucubrationes legendas dedi; quia in externis rebus cognoſcendis maximam ſolent homines oblectationem percipere. Vale amice Lector, & meis elucubrationibus recte conſule.

DE INSVLA MATERIÆ

INSVLA in Oceano ad occidentem Solem iacet, quæ vulgò Madera aptè latinè Materia dici poteſt: antiquis ſcriptoribus penitus incognita, nec ab ijs qui terrę orbem deſcripsère; ne verbum quidem de illa factum eſt (quod equidem ſciam) præterquam à noſtræ ætatis ſcriptoribus, qui illius meminerũt, ſed quã breuiſſimè; ita vt eius nomen vix attigerint. Diſtat à continenti Europę (hoc eſt à Luſitana Prouincia, quæ illi eſt propinquor) millibus paſſuum ſeptingentis & viginti. Eſt ſub Imperio Regis Luſitanię: ea enim à Macino reperta eſt; tum primum cum Ioannes hoc nomine primus Imperio Luſitaniæ potiretur; dũ à ſeptentrionalibus ad Meridionales oras mercaturę cauſa nauigaret. In qua quidem nauigatione ingenti coorta tempeſtate curſum nauis retinere non potuit, vnde coactus fuit nauem aduerſis ventis committere; ne naufragium faceret, atque ad Inſulam pręter opinionem appulit, in qua; tum quid eſſet, cum rebus ſuis valde timeret; cognoſcere deſtitit. Quamobrem mari paccato cupidiſſimus iter inſtitutum cõficiendi, cũ primum illi facultas per Fauonium facta eſt, ſtatim ſecundo vento vela dedit; & non multo poſt ad ſacrum Promontorium peruenit. Inde cum ad Gades cõtenderet, in Mauritanorum triremes incidit, à quibus captus & in Africam perductus eſt. Ea autem tempeſtate Luſitani de Imperio atque Religione cum Afris bella contin enter gerebant: & mos erat captiuos hinc & illinc redimere. Ad Ioannem ergo Regem Macinus ſcripſit orans obſecranſq., vt pro illius ſingulari pietate, qua erat in omnes Chriſtianarũ partium captiuos, vellet ſe ab hoſtium vinculis liberare: quod ſi fecerit, ſperaret beneficij huius gratiã ſe breuì relaturum: promit-

malium ſordidorum duo ſunt genera, murium (vt ſupra retulimus) quamquam mures a nauibus ad Inſulam appulſis importati fuerunt. Aliud autem eſt pulicum, quorum numerus eſt, propè infinitus. Nam terram eſſe eiuſmodi perhibent, vt ipſa ſuapte natura ſicca, vel aliquantum madefacta pulices ſtatim procreet; vndè inoleuit duabus rebus præcipuè incolas materiæ abundare pulicibus, & muribus.
Abundat etiam mare Materianum piſcibus, ijſque optimis. Habet etiam piſces monſtro ſimiles, atque præter cæteros piſcem quemdam hominibus inimiciſſimum, quem nonnulli caniculam vocant; qui piſcis natantibus maximè inſidiatur: quod proprijs oculis vidi enarrare fas erit. Duo erant iuuenes, qui cum propter maximos calores (vt fit) ad ſcopulum quemdam haud longè ab Inſula iuiſſent; ibique veſtibus relictis natare cepiſſent; nec multo poſt cum alter natando feſſus ad ſcopulum redijſſet, & inde ſocium vidiſſet laborantem, atque ſemel ſub aqua immerſum exiſtimans eum vel laſſitudine, vel neruorum torpore retro natare non poſſe, iterum in mare ſe deiecit, vt ſocio praſtò eſſet in eius ſalutem conſeruandam, cum verò appropinquaſſet, vidiſſetque aquam ſanguine fœdatam, ſuſpicatus, id quod acciderat, atque ſibi vehementer timens ad ſcopulum iterum redijt, tum ſcapha properauit ad ſocium recuperandum, quem cum extraxiſſet morientem, vidit eius ventrem, & inteſtina a piſce illo dilaniata, & conſumpta fuiſſe, Maracho ſimilem piſcem incolę nominant, qui puluo ſimilis eſt; multiplices habet caudas, & oblongas, quibus vndequaque circumducit, & ligat homines, vt nec pedibus, nec manibus queant ſe ipſos adiuuare. Hæc de illis quæ Materia ſuis incolis producit explicanda, & ſcribenda habuimus, quæ à nobis ſatis ſcripta eſſe arbitramur. Nunc de Incolarum moribus, & natura agendum eſt.

Mare Materianũ abundat piſcib.

Piſcis monſtro ſimilis

Incolæ materiæ a Luſitanis orti Luſitana lingua vtuntur, quæ apud Iberos habetur rudis, & impolita; iucunda tamen & quæ riſum facilè excitare valeat: Italis vero præ ſuauita-

Materiani Luſitana lingua vtũtur

te Tuſcæ & Romanæ linguæ riſui eſt veluti Inſubrum, & Cenomanorum ſermo. Mihi autem valdè mirum eſt Luſitanos adeò ab Italia remotos, & omnium Hiſpanorum vltimos, tamen ad Hetruſcæ linguæ vocabula propriùs accedere. Quod cum mecum ipſe cogitaſſem, quæ nam eſſet eius rei cauſa, nullam aliam reperiebam, quàm propter locorum longinquitatem minus exteris gentibus patuiſſe ad illos acceſſus, ita peregrinitatem, quæ vel maximè eſt vernaculæ linguæ corruptrix, in Luſitaniam minus infuſam fuiſſe, gloriantur que noſtri ſe ſolos Hiſpanos eſſe veros, quod non modo ſuæ Sedes a Barbaris occupatæ non fuerint, ſed quamplurimi ex reliquis Hiſpanijs pulſi in Luſitaniam tamquam in portum confugerint. Ita ſermonem illum, qui ex Colonijs Romanorũ deductis apud eos receptus fuerat, minus læſum extitiſſe arbitrãtur: quibus rebus, quanta ſit adhibenda fides, aliorum ſit iudicium. Attamen ſermo Bethicorũ corruptior, Tarraconenſium vero corruptiſſimus, eorum maximè, qui ad Gallias pertinent: quod eorum loca multæ, atque variæ nationes tenuerint. In ea vero aſperitate ſermonis habent Luſitani vocabula quædam aptiſſima. Nam fatuum & rudem, quem Caſtellani neſcium, Luſitani paruum vocant: paruuli enim ob ætatis imbecillitatem rudes ſunt, & ſtupidi, Temerarium vero, & crudelem, ac ſceleſtum, Sandeum appellant, tamquam ſine Deo. Iure enim Deus Opt. Max. ab eiuſmodi hominibus longè abeſt. Atque multa quidem dici poſſent, quæ quando ad rem noſtram non multum pertinent in præſenti prætermittenda putaui. Sed ad Incolas Materiæ reuertamur. Materiani eaſdem leges, quas Luſitani, & inſtituta obſeruant; quare quæ de Materianis explicabuntur, eadem ferè de Luſitanorum moribus dicta eſſe arbitrandum eſt. Summum apud eos Magiſtratum tenent duo viri, quos ipſi capitaneos vocant. His initio, & eorum poſteris Rex Luſitaniæ totam Inſulam traddidit bipartitam Regis nomine perpetuò regendam; Alij Vrbem ipſam vſque ad oppidum do Paul, Alij quod eſt ab Vrbe,

[Margin: ...ateriani ...untur iiſ. ...m legib' ...ub' Luſit.]

vſque

vſque ad oppidum Machici. Pęnes vtrumque horum eſt ſumma iuriſdicendi, atq; omnis vitæ, neciſque poteſtas, vt neuter illorum in alterius iuriſdictionem interpellari poſſit. Sunt etiam alij Magiſtratus minoris tamen poteſtatis, eorum præcipuè, qui res vrbanas, qui vectigal curant; qui controuerſias pro tribunali diſcernunt, dirimuntque. Ab omnibus tamen Magiſtratibus eſt prouocatio ad Regem. Id quod factum eſſe arbitror, vt populus Materianus Regem habere ſe ſciret; & nullus in potiundæ Inſulæ cupiditatem illaberetur. Quare cùm incolarum, tùm Luſitanorum eſt in Regem ſummus amor, & incredibilis obſeruantia, atque mira etiam de eo opinio, nihil temerè, nihil iniuſtè facere, nec decipi poſſe exiſtimant; ſed quæcunque Rex iuſſerit feceritvè, ea diuinitus ab ipſo tanquam à Deo aliquo iuſſa, aut facta eſſe arbitrantur: ita Rege Luſitaniæ aut potentiorem, aut ſapientiorem, aut clariorem putant eſſe neminem. Tante autem aliorum Principum Chriſtianorum exiſtimationem eſſe ducunt, quanto grauiores inter ſe ſimultates exercent, bellaque pro Chriſti religione neglecta continenter gerunt, ſuóſque Reges ſummis vſque ad cælum laudibus efferunt, admiranturque; qui tot Prouincias ſubegerint, tot Regna ſuperauerint, qui noſtræ religionis hoſtes infringant & ſub iugum mittāt, atque ad Chriſti cultum redigant. Itaque Chriſtianum nomen vſque ad extremas Africæ Aſiæque gentes eius auſpicijs coli, & obſeruari faciāt. Materiani autem ſunt natura acuti, callidi, laborum patientes, cibi temperantes: nullus enim apud eos eſt ferè vini vſus, tantum ſenibus licet vti vino ſine ignominia; adoleſcentibus vero & præſertim mulieribus haud minimum eſt dedecus vinum bibere, propterea quod exiſtimant, quæ bibax ſit, eamdem eſſe meretricem. At iuuenes vel ob eam cauſam vino abſtinent, ne mulieres, quas amant, vini odore, a quo maximè abhorrent, malo anhelitu offendant. Ars muſica in magno pretio eſt apud Materianos, fidibus ferè omnes non nihil ſcire ſtudent; in cantu graues ſunt, & queruli; puellas

Maxim' l... ſi:anorū e... ga Regem amor.

Materia... ſunt, & ca... di, & acut...

Materian... nullus eſt... ni vſus.

quarum amore capiuntur, miſerè atque perditè amant: Virginibus vero in Regia vitam degentibus, vt facilius nubere poſſint, palàm amari permittunt, & ſuos amatores alloqui, & ab eis dona accipere ſinunt; ducũt enim vt plurimũ vxores non dotis cupiditate, nec rei familiaris augendæ cauſa, ſed beneuolentia, & amore adducti. Multi ex nobilioribus nulla ratione dotis habita vxores duxerunt. Nam vt ex multis vnum commemorem Emanuel Noronius, Mariam Taydam a patre indotatam accepit: Virginibus autem fas eſt, cum deſponſantur, aut cum dotem ſtipulantur vtriuſvè familiæ, aut patris, aut mariti nomen accipere, nec poſtea mutare licet, ſed ipſum retinere oportet. Mos eſt, & inſtitutum Luſitanorum, vt ditiores, & potentiores dotem nõ modo Virginibus dent, ſed etiam iuuenibus, qui ſeptem annos eorum commodis inſeruierunt; Quam legem Rex ipſe Luſitaniæ maximè obſeruat: nam adoleſcentibus ſummo loco natis; cum vxores ducunt, certam pecuniam quaſi dotem quandam ſtatuit. Idem quoque Regina facit Virginibus ſibi inſeruientibus. Et mehercule lex eſt omni laude digna; quæ ab officio charitatis proficiſcitur. Hæc autem lex ſi in Italia lata eſſet pernitioſa admodum, & haud facilè obſeruari poſſet; multum enim intereſt apud Italos an apud Luſitanos huic legi pareatur: nam illic propter hominum paucitatem, diuites tantum, & ſanguine clari hominum liberorum opera vtuntur; cæteri ſeruos habent. In Italia vero eſt tanta hominum copia, vt ſerui ex Aethiopia contemnendi ſint, cum liberi paſſim famulentur. Quod ſi inſeruientibus pueris dos ab Italis eſſet ſtatuenda, nullæ profectò eſſent tam amplæ opes, quæ ad legem obſeruandam ſatis eſſent; quin multi atque proprè infiniti alijs famulari mallent, quam ipſi aliorum ſeruitio vti. Itaque non ſolum tanto commodo priuarentur, ſed etiam quamplurimi fame, & inopia perirent. Eſt ergo clarum nonnullis in locis aliquam legem vtilem eſſe, & perneceſſariam: in alijs vero inutilem, & ſuperfluam, atque etiam perniciosam. Nuptæ

Sponſæ vtriuſq. familia, aut patris, aut mariti nomen accipiunt.

vero

verò ſumma cum diligentia obſeruantur, nec eis licet aliquo exire niſi, vel marito in primis, vel vxoris fratre, aut filio comitante. Omnes ferè ſunt Zelotipi, ita vt proximioribus conſanguineis vix confidant. Id autem habent Luſitani præ alijs excellentius, quod in, Dei timore, & religionis cultu adeò ſunt diligentes, vt nihil aliud eis curæ ſit, quam Deum colere, religioſos homines obſeruare, & venerari. Quare Reges pro religione propaganda magnos labores tolerarunt. Ideò in inſigni armorum habent ſcuta quinq;, vt quinq; Regum deuictorum memoriam retineãt, quos bello Rex primus Alphonſus ſuperauit, qui Portugalliæ comitatu ſucceſſionis iure gauiſus eſt, Duciſque appellationem per viginti ſeptem annos obtinuit ad inſignem vſque illam in Agro Orichenſi pugnam in qua manum aduerſus Iſmarium, & quatuor Sarracenorum Reges conſertu-rus ab exercitu ſuo vltrò, citròque Regium nomen ſibi comparauit. Cũ omnes eo die Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcepiſſent: indecorum quippe videbatur quemquam in quinque hoſtes reges concurrere, qui & ipſe ſaltim Rex non eſſet. Hac die Chriſtus Crucifixus in aere pendulus, ipſiuſque Alphonſi oculis obuerſatus in hanc vocem erupit. In hoc ſigno vinces. Quo nomine huiuſmodi inſignia Portugalliæ Regibus aſcripta ſunt; eademq; die quinque illi Sarracenorum Reges retardati, atque è medio ſublati ſunt. In inſignibus autem Regum Luſitanorum hæc habentur, Scutula quinque Armigerum decuſſata, cruciſq; formam exhibentia maiori ſcutulo concluſa in campo argenteo, ſcutulo vero vno quoque quinque denarij circumſepti tenentur decuſſatim conſtituti. Hæc autem non modo quinque vulnerum Chriſti hieroglyfica ſunt, ſed & triginta denariorum, quibus ipſe venditus fuit ſymbolum exhibent: adde & denarios quinque ſcutulo circumſcriptos eius eſſe victoriæ ſpecimen, quam Rex vnus à Regibus quinque Diuinis auſpicijs reportauit. Septem verò Caſtellorum auctione inſignia Alphonſi Tertij temporibus

Alphon[ſus] primus R[ex] Portugall[iæ] ab exerci[tu] ſuo Rex ſ[alutatus] acclamat[us]

accepta fuerunt. Rex autem Emanuel in ſtemma ſuum ſphæram aſſumpſit, quod ad poſterorum etiam inſignia percrebuit, latiſſimi videlicet Imperij ſymbola, quod in omnes orbis partes Rex Luſitaniæ ſortitus eſt. Vndè magna repręhenſione quemdam Luſitanum dignum eſſe arbitror, qui dicere auſus eſt, ea quæ diximus non ita vera eſſe, cum apud Luſitanos vehementer increbuerit, & illa quæ ad religionem ſpectant potius amplificanda, quam diminuenda ſint, & nullam ipſe rationem afferat, qua illam ſuam nouam opinionem confirmet; quinimo ſuo ipſe proprio gladio ſe iugulat cum ex eius dictis noſtra ſententia ſeu potius veritas innoteſcat. Nam eo ex tempore quo Luſitani proprium Regem ſortiti ſunt pro Chriſti fide cum hoſtibus in Africa, & Aſia manus conſeruere non ſolũ Mauros ex Regni ſui finibus expellentes, ſed in Aethyopia, Arabia, ac in vniuerſo Oriente, & (vt vno verbo dicam) vltra Indum, & Gangem pugnando proprio ſanguine Chriſti fidem ferè per vniuerſum Orbem propagarunt, & in ea loca peruenerunt, quæ nec Semiramis, nec Dioniſius, nec Magnus Alexander auditione perceperunt, nec fama ad eorum aures pertulit, quamuis aliquam partem ſuperarint. Luſitani autem maxima eorum gloria, & nomine, & præcipuè Dei Opt. Max. laude ab omnibus victoriam reportarunt. Hoc autem lectorem admoneo, vt animo ſecum reputet, quam variæ res, & vehementer admirandæ ſint à Luſitanis in India intra, ſex, & viginti annos effectæ. Quæ maria? Quæ littora? Quæ regiones exploratæ? Quæ bella contra Reges potentiſſimos inuicta virtute geſta? Qui terrores neglecti, & contempti, vt tantorum laudem non hominibus, ſed Deo, qui præſentiam ſuam noſtris ſępenumero declarabat, ſumma ratione tribuendam. Quod tum multò clarius apparebat, cum aliquando eueniebat, vt ipſi Luſitani ſibi nimium præfidentes ab hoſtibus eiſdem vincerentur, vt intelligerent inanes, & irritos hominum conatus fore; qui non fuerint cæleſti præſidio ſuffulti. Vt autem duo,

Luſitanorũ maxima gloria.

vel

vel tria exempla commemorem, quo id confirmemus, eſt enim altius repetendum, vt omnes intelligant non humanis viribus, ſed auxilio Diuino victorias comparari. Tempore enim quo in India Malaca fuerat a Bintami Regis obſidione vexata, & poſtea Antonij Correæ aduentu liberata; Correa cum Vrbem hoſtium metu liberatam cerneret, Pegum iter inſtituit, & Martabaum maritimam Regni illius ciuitatem ſecunda tempeſtate peruenit: Interim apud Pacemenſes ingens tumultus exoritur, vir enim quidam regnandi cupidus in Regem inſidias comparauit, illoque occiſo Regnum occupauit, & viginti quinque Luſitanis, qui eò loci verſabantur, necem intulit, opeſque illorum abſtulit, & quibus ſignis potuit quanto odio nominis Luſitani teneretur, oſtendit. Garſia Sala, qui tùm Malacæ præerat, nauem vnam armis, & munitionibus, & valido militum præſidio diligenter inſtruxit, illique Emanuelem Paciecum præfecit, cui præcepit, vt oram, quæ inter Pacemenſem, & Axemenſem portum intereſt, ſumma vigilantia ſpecularetur ne commeatum vllum in Vrbem importari, neuè cuiquam in altum piſcandi gratia euehi liceret: Hoc autem belli genus acerrimum erat. Nam gens cibis importatis vtitur, & piſcibus plurimum alitur. Vtriuſque rei vſu prorſus impedito neceſſe erat Vrbem inopia atque fame cruciari. Id Paciecus non ſegniter exequutus fuit; verum cum aquæ recentis deſiderio teneretur, ſcapham in terram propius Vrbẽ miſit. In ea autem præter Remiges viri quinque vehebantur, qui in fluuium ſubuecti aquationem fecerunt, deinde ſecundo fluuio nauem repetebant, cum ex improuiſo hoſtes innumerabiles vtramque fluuij ripam occuparunt. Tum lapidum atque ſagittarum multitudo grandinis inſtar in noſtros decidit, ita vt maximum vitæ diſcrimen adirent, qui tamen parmis tecti cum totis viribus ſcapham incitarent, è ripis emerſi in altum vecti ſunt; ſed cum æſtus eſſet aduerſus, & ventus eos deficeret tres naues humiles quidem, ſed valde longæ multorum militum capaces, quæ remis impelluntur, armis, &

vali-

ſignis nobiliorũ Luſitanorũ victoria.

validò militum præſidio munitæ, quibus multi homines nobiles vehebantur, ſcapham conſecutæ ſuut. Nauibus præerat Laxenſis vir egregiè fortis, qui Zudamecius appellabatur. Noſtri obſtinatis animis decreuere mori potius, quam ſeruitutem pati. Deindè cum omnem ſuam ſpem in Chriſti numine collocaſſent ad pugnam ſe comparant. Vnus ex quinque viris Luſitanis tonſor erat: is cum eſſet ſummis viribus,& animi ſingulari alacritate præditus, nauis prætoriæ, quæ reliquis anteceſſerat, & in ſcapham inuaſerat, proram manibus arripuit; quatuor reliqui in nauem conſcendere, quos ipſe ſecutus fuit tantoque impetu in hoſtes irruere, vt multi ſe metu in mare deijcerent, Dux ſuis a tergo enſe diſtricto ferociter inſtabat, & mortem illis niſi ferociſſime pugnarent, minabatur. Et cum nihil neque exhortando, nec minitando proficeret, quatuor occidit, erant adhuc hoſtes ancipiti metu diſtricti. Qui enim Luſitanorum impetum ſuſtinebant, ab illis cędebantur: qui fugiebant, erat Ducis ipſius manus neceſſario ſubeunda. Tamdem poſtquam aliquo ſpatio fuit vtrinque dimicatum omnes hoſtes aut ferro conſciſſi,aut fluctibus demerſi ſunt. Tantus enim illis terror iniectus eſt, vt ſe in mare demitterent, ipſeque Dux multis prior vulneribus acceptis ſe in mare præcipitem dedit. Erant autem ſupra centum,& quinquaginta, qui naue illa vehebantur. Reliquæ duæ naues cum primæ caſum oculis aſpexiſſent, metu perterritæ conſtitere, ſed eo tempore noſtri erant ita labore debilitati, & vulneribus confecti, vt nullas ad reſiſtendum vires haberent. Sed eodem numine: quo noſtri fuerunt in prælio confirmati, vt tam admirandum facinus ederent, hoſtes exterriti ſunt,ita vt eos aggredi non auderent. Nauis hoſtium capta remulco ad nauem primùm, deinde Malacam perducta, & in terram ſubducta. & integumento contecta fuit, vt diutiſſimè permaneret miraculi ſtupendi monimentum. Aliam noſtrorum victoriam (non ulla quidem oſtentatione, aut iactantia,ſed Dei potius gloria) commemorabo. Solimanum atque Xa-

tariam par Belluarum Chriſtiano nomini ſemper infeſtiſſimum in Oriente ſuadendo, rogando, pollicendo, adiuuando effecerunt, vt potentiſſimi totius Aſiæ Reges in Luſitanorum nomen delendum funditus conſpirarent; nec dilatum bellum. Nam Goam noſtrorum in India Metropolim ab omni proprè Bellico apparatu, quæ claſſem atque militem rei gerendæ cauſa diuerſum peregrè dimiſiſſet, imparatam; Hidalcanus Rex nullo indicto bello, imo vero nulla tùm belli ſuſpicione flagitioſiſſimè improuiſus obſedit. Quinque & triginta equitum, & ſexaginta peditum millibus, atque ijs quidem ſtipendiarijs omnibus præter ingentem voluntariorum militum numerum, atque infinitam ſtratorum multitudinẽ, torméta vero maiora ad oppugnandũ comparata; quadraginta etiam elephantorum numerum. Quam obſidionem cum Goenſes proprè annuam toleraſſent, claſſiarij militis; & quidem victoris aduentú, qui ſeptem tantum nauibus, Dachenorum Regis ſeptuaginta nauium claſſem inſtructiſſimam prœlio viciſſet, Hidalcanum cæſis ſuorum duodecim millibus, ſuffoſſis atque confectis, elephantis, equiſque quamplurimis ſummouerunt; multis bellicis machinis atque impedimentis præcipiti fuga paſſim relictis. Eodem tempore Zamalucus, ſed maiore tamen apparatu atque delectu Chiaulium copias adduxit, Vrbem natura atque opere minimè munitam, quam longa atque diuturna obſidione quamdiù preſſit, præclara ſunt à noſtris edita facinora, ſtationem tueri non contentis ad hoſtem quoque auſis progredi, manumque conſerere. Itaque multis magniſque hoſtis affectus incommodis pacem a noſtris malo coactus expetiuit. Hoſtem enim miraculorum magnitudo terruit, quippe cui ſpecies Beatiſſimæ Virginis noſtris pugnantibus adeſſe viſa eſt; tùm quia penetrare ad noſtros atque irrumpere tantum licebat; máre quod ſtatis horis adfluxiſſet, ſtetit illud, nec poſt legitimum naturæ tempus refluxit, aditus occluſit, hoſtes prohibuit, noſtros ſeruauit, ſic propſus, vt animaduerterent conterriti hoſtes ſe non cum mortalibus, ſed cum

Hidalcanus Goam obſedit.

Maximũ miraculũ Beatiſſimã Virgo adfuit noſtris pugnantibus.

Mare ſtetit, nec poſt legitimũ naturę tempus refluxit.

Hoſtes adducti miraculis Chriſtiani facti ſunt.

Deo bellum gerere; quod & ipſi etiam palam confitebantur, nec nulli miraculis adducti volentes etiam Chriſtiani facti ſunt. Hæc exempla adeò manifeſta eò commemoraui, vt noſtros admonerem, ne Dei numen illis valde propitium offendant. Nec enim intelligit is, qui ſecundis rebus effertur, quam ſubitò omnes humanæ opes euaneſcant, & ex quam alto gradu multi principes maximi cum omnium mortalium admiratione conciderint, neque quanto ſeueritatis impetu ſummus ille iudex eorum ſtatum, qui ſibi nimium præſidunt quaſi turbine quodam conuellat, & deijciat. Cui enim exploratum eſſe poteſt omnia ſibi ad extremum vitæ ſpiritum feliciter euentura? Quis eſt, qui ſibi queat diem, vel horam potius omni calamitate liberam poſt liceri? Vt enim tenebræ lucem conſequuntur; vt aduerſa tempeſtas ſolet nautas, & vectores inopinantes opprimere, ſic caſus acerbi florentem ſtatum ſæpenumero peruertunt, malorumque omnium fluctibus obruunt, & ad miſeriæ ſempiternæ ſcopulos allidunt; & quo magis homines ſecuri ſunt, eò grauius cum in eos calamitas incurrit, affliguntur. Quocirca ſapientis eſt omnia mala, quæ poſſunt ſingulis diebus, & horis, atque adeò momentis incidere multò ante meditari; Stulti vero, & inſani in ſecundis rebus humanæ imbecillitatis obliuiſci, maximè autem cum ſæpenumero videamus Dei numen interdum eis quibus eſt magis infenſum adumbratæ felicitatis vſuram longiorem tribuere, vt eis, qui ad officium redire nolunt, vno temporis momento vulnus multò altius infligat. Idcirco Dominus monet ne ſimus illis ſimiles, qui Noè temporibus ſecurè vitam traducebant vſque ad illud tempus quo fuere repentina illa eluuione, quam nullo modo vitare potuerunt, oppreſſi. Illos enim ſubito Ciuitatis incendio docet iudicium illius, homines improuidos quaſi occultis laqueis impedire, quominus poſſint, ex ſupplicijs, & cruciatibus ſempiternis emergere. Sed ad inſtitutum reuertamur. Templa incolis Materiæ vetulis tantum frequentius adire licet: ætate vero, & forma

Optimum exemplum.

Templa vetulis tantũ adire licet quotidie.

præ-

præſtantibus feſtis ſolum diebus, nec ijs omnibus ſed ſolemnibus. Matronæ cum magna pompa incedunt, clientibus & pueris præeuntibus, qui puluinaria aurea vel ſerica, item tapeta atq; aulæa portant, vt ijs ſtratis pro dignitate poſſint conſidere. Has non decet eos audire niſi flexis genibus ad terram, nec ſimiliter eos alloqui. Res familiaris nihil curæ eſt matronis, nec illa quidem, quæ intra domus parietes eſt. In ſe componendis tantum eſt omne earum ſtudium; omnes autem homines, qui Inſulam incolunt aut liberi ſunt, aut ſerui. Hi tribus modis nomina ſortiuntur aut a lege, vt ij qui Mauri vocantur, aut a colore vt Aethyopes, quos nigros vocant, aut a procreatione, vt qui ex nigro aut alba ſeruis; aut ex nigra & libero, aut contra procreantur, mulati iſti vocantur, quod non ex eodem genere ſeminis procreati videantur; qui nec nigri nec albi, ſed oliuaceo ſunt colore, & ſubnigro ex mauris pleriq; ſunt, atq; nequam, improbi aut fugitiui ſunt; nec mirum, cum olim & ipſi liberi fuerint, victi enim prælio ſeruituti addicuntur, eam ſeruitutem ægrius ferant; atq; ob eam cauſam cathenis æneis, aut compedibus ferreis vſque vincti tenentur. At nigri perſæpe boni ſunt, & fide optima ſed ingenio rudi, & hebeti; atq; eam eſſe eiuſmodi ſeruorum naturam ferũt, vt niſi illos in aſſiduo contineant labore, atq; nonnunquam etiam flagellis cædant, facilè ad malum genium labantur. Vnde hi vitam durè admodum agere coguntur; nec tamen vt mauri vinciuntur, niſi cum aliquod peſſimum facinus admiſerint. Fuſci colore, cum omnes ferè vernæ ſint, omnibus ſeruis præſtant, & quia liberaliter ſeruiunt, nonnunquam à dominis manu mittuntur. In ſeruis vendendis aut emendis magnam emptores adhibent diligentiam. Nam tum deambulatione, & agilitatis curſu periculum faciunt; tum mẽbra diligentius perſcrutantur, an, & aliquo ſint morbo affecta maximè perſpiciunt, vtrum dentibus careant: quibus enim dentes deſunt, ij debiliores ad laborem exiſtimantur; quòd præcipuo careant inſtrumento ſumendi cibum vndè

Duo hominum genera incolunt materiam aut liberi aut ſerui.

Nigri ſunt boni ſed ingenio rude.

Magna adhibetur diligentia in vendendis ſeruis.

vires oriuntur; Qui producendi ſunt oleo quotidiè vnguntur, vt eorum corpora leniora, & nitidiora reddantur.

Duo ſunt genera liberorum hominum videlicet nobiles aut plebei.

Liberorum autem hominum duo ſunt genera: vnum nobilium, alterum plebis. Nobiles apud eos inprimis habentur, qui a ſuis maioribus tamquam per manus traditum familiæ ſplendorem acceperunt, quem, ſi opes ſecutæ fuerint, in magno habentur honore. Horum omnium ſtudium tùm in amore, tùm in venatione, tùm in equis alendis, tùm in gratia Regis ineunda, & conſeruanda poſitum eſt; quòd a Rege ipſo non modo opes, ſed honorum gradus proficiſcuntur.

Nobiles in aula Regia ſunt frequẽtes.

Sunt autem nobiles in aula Regis perquam frequentes: Reges enim Luſitaniæ nobilitatem quamplurimi faciunt. Eſt namq; hoc a Regibus inſtitutum, vt omniũ puerorum a nobilibus parentibus procreatorum nomina ſcribantur; quibus non modo grandiore ætate, ſed ab ineunte etiam in Regia vitam degant.

Nobilibus Reges ſtipẽdia decernunt.

Reges autem ſtipendia, & penſionem quamquã non amplam decernere ſolent, nec ijs tantum, ſed ſuis etiam educatoribus, (quos ipſi Ayos vocant, ab alendo nomen deductum) qui vt officium eiuſmodi puerorum alendorum maioris ſit dignitatis, & auctoritatis, alio quidem honore (quem ipſi ſcutiferum vocant) a Regibus ornantur, cuius officium eſt in itinere; & in prælio Regem præire; atq; tamquam ſtipatores pro Rege, & pro Regno pugnare, & dimicare. Itaq; omnes ferè luſitani ſtipendijs Regiam frequentant, & eorum magiſtri, vt dictũ eſt, ipſius Regis quaſi ſatellites ſunt. Horum eſt officium pueros bene moratos facere, vt verecundi, vt affabiles, vt modeſti, vt liberales, vt fortes, vt maiorum ſuorum imitatores ſint: ſi quod egregium facinus ab eorum maioribus factum fuerit aut pro Rege, aut pro Regno, aut pro dignitate familiæ retinenda aut amplificanda, ſæpius commemorare ſolent, idq; ad imitandum proponere, turpitudinem ſermonis maximè deteſtari, & præſertim in Deum & Sanctos maledicta, & vaniloquentiam qua nihil eſt apud nos hac deteſtabilius;

Ius iurandũ Luſitanorũ.

quin & Luſitani cum ex animo vehementer

irati

irati iurant, nihil magis quam per ſuam barbam, eam tunc ipſi manibus apprehendunt: quod iuſiurandum inuiolabiliter obſeruant. Sed Chriſti religionem, vt habeāt, eos in primis docent, in omnibus actionibus leuitatem, vt fugiant, temperantiam, & prudentiam colant; artibus vero liberalibus atque diſciplinis a paruulis tantum operam dant; in reliqua verò ætate perpauci, vel potius nulli. De alijs exercitationibus nulla in re magis quam in equis regendis, haſta ſimul, & clypeo aptè ferendis corpus exercent. In Regia pueri nobiles ſeruile nihil faciunt, tantum Regem ſequuntur, & cum is prandet, aut cœnat genibus flexis propiùs aſſiſtunt. Tùm Rex nonnunquam ab educatoribus inquirit de puerorum ingenijs, de ſtudijs, de moribus; atque vt quiſque plurimùm proficit, ita a Rege maximè collaudatur, fructibus quoque manu plena donatur. His autem cum adoleuerint maiora ſtipendia ſtatuuntur, quandoquidem, vt in reliquis Hiſpanijs, & Gallijs, ita in Luſitania ſtatutum eſt, vt qui maior eſt natu is patris bonorum hæres ſit; idcircò quamplurimi paupertate coacti varias regiones adeunt, Africam, Aethyopiam, Indiam, & multas atque varias Inſulas, quæ Regis Luſitaniæ Imperio parent. Horum nobilium à Rege maxima ratio habetur; ijs Caſtella, Ciuitates, Prouinciæ decernuntur; claſſibus, militibus, equitibus præficiuntur, exercituum Imperatores creantur; Ita cum ipſi opes, & gloriam facilè conſequantur, tùm Regis Imperium maximè dilatatur, ac nomen Luſitanorum longè lateque vagatur. Militaris autem apud eos diſciplina tantum eſt equitum; nam pedites nullo ordine, tumultuarieque dimicant enſibus, ſcuto, & pilis tantum vtuntur: nonnulli ſcorpiones habent; haſtarum autem oblongarum; (quas vernaculo ſermone picas dicimus) magnum vſum habent, & noui generis tormentorum, quę Itali, & aliæ nationes ſcopetas vocant. Loricati equites ſiue cataphraſti apud eos ſunt nulli; omnes enſem, clypeum, vel haſtam ad bellum ferunt. Contractis cruribus equitant, cuius rei ratio illa eſt, vel quod agilitatem

Nobiles Pueri in Regia nil faciunt ſeruile.

Primo genitus eſt hæres patris.

Nobilium maxima habetur ratio.

Tantum equitum eſt militaris diſciplina pedites tumultuarie dimicant.

tem

tem quamdam atque, vim maiorem ad hoſtem feriendum aſſequuntur; vel quod minus crura lædi poſſint. Nam pedites mauri quibus cum bella continenter gerunt, vnius cubiti, vel paulò maiores baculos ad bella ferre ſoliti equorum hoſtium crura petebant, cumque equitibus crura ferro circumdare vſus non eſſet, ſed inermia habere, id optimum illis viſum eſt remedium, ne crura ab hoſtibus frangerentur, pedibus contractis equitare. Cum autem tempus opportunum aut pax ſecuta eſt, ne otio molles atque deteriores fiant, ludos atque certamina ineunt in pugnæ ſpeciem: equitum duas turmas faciunt, harumque duos ductores; vt vero ſinguli equites, cuius ducis ſint, dignoſcantur, in ipſoque certamine certus ordo ſeruetur, nevè aliqua intercertandum turbatio eueniat, ſuos vterque equites ductor ad ſuum arbitrium certi coloris veſtibus inſignitos reddit lineo velo vel ſerico circumcaput reuoluto, ita in patentem campum ſpectatoribus agmina deducuntur; quæ dum bini, aut terni pareſque vagantur diſcurruntque, haſtilia vibrando, ſoluuntur: tùm bipartitis agminibus, & haſtarum loco arundinibus ſuſceptis, tympanis, tubaque ſigno dato, vnius agminis equites ordine eodem atque numero, quo plateam luſtrauere, magnis clamoribus excitatis alterum agmen adoriuntur, quod præacutis arundinibus petunt, quibus miſſis ſe ad ſuos velociſsimè recipiunt, terga, & capita ſcutis tegentes. Nam ſubitò equites ſecundi vehementius inſequi, & ſimilibus telis petere contendunt; & his fugæ datis totidem primi agminis hoſtem perſequi atque ferire nituntur. Ita curſus vltrò citroque iterant, donec ad vnum omnes vtriuſque agminis equites in certamen venerint. Tùm numero paulatim aucto quaterni ſcilicet, deinde quini, poſt ſeni iterum certamina reuocant. Huiuſce certaminis genus eſt nobilium tantum, cuius vſus eſt, in Regia frequens, delectationis, & exercitationis gratia, atque in primis, vt ſuis amoribus ſeſe oſtentent. Eſt inſuper aliud ludorum genus, quo tauros interficiunt; qui etiam in Italia, & Romæ olim cele-

Noſtri equitàt pedibus contractis.

Ludus cannarum.

Taurorum ludus.

celebrabantur. Alia tamen ratione in Luſitania fiunt, quam in Vrbe: noſtrorum morem hac in re docere iucundum fore arbitror. Ludos huiuſcemodi nobiles equo faciunt, ſeu potius equitando tales ludos exercent; ita primum omnium equites veſtibus auroque ornati in campum deſcendunt ſine ſcuto haſtas tamen lucenti ferro præmunitas dextera geſtantes; Qui ſimul atque pares diſcurrendo, quemadmodum ſupra docuimus, ſpectantium ora luſtrauerint, tùm fortis è carcere taurus, quem ſtimulis, & clamoribus ad iram concitatum modo à dextro, modo à ſiniſtro cornu aggrediuntur, itaq; nonnunquam etiam ex aduerſo, ſed hoc raro, cum non ſine magno periculo fiat, partim quòd taurum cõtrauenientem ferire difficilius eſt; partim quod valentiſſima beſtia non modo equum cornibus ferire, ſed & equitem ſimul, & equum in terram proſternere facile poſſit. Terga autem tum vertere, & è præſenti periculo tam citò elabi, vrgente tauro, haud facilè eſt. Quam ob cauſam nunquã ab equitibus taurus haſta læditur niſi celerius ipſi fugæ ſe dederint; tanta autem agilitate, tantaq; non modo velocitate ſed arte quadam, & modo fugiunt, vt non rapido curſu longius abeſſe velint, ſed curſum concitare tantum, quantum tauris ad inſequendos equos, ſatis ſit: ita fit, vt ſpectatores non modo voluptate, & admiratione afficiantur, ſed etiam, quando periculum equorum, equitumq; perhorréſcunt, quod tauri cornibus iam figere videantur. Cum vero taurum acrius inſequi animaduertunt, nec, equo id loci ſpatium eſſe, quo longius progredi poſſit, tum haſta in frontem immiſſa ferire, atq; ſtatim velociori curſu fugam arripere conantur. Quod ſi interea loci alicuius equitis ſalus in diſcrimine veniret, alij præſtò ſunt, qui taurum ad ſe diuertere haſta cominus intenta, curant; & in aliam partem ad certamen trahant. Taurorum enim hæc eſt natura, vt in quodcumque inciderint, id primum feriant. atq; interficiendum oculos claudant: ita facilime tauri illiduntur, quare in haſtæ ſummo acumine ſignum quoddam ſe-

Maxima noſtrorum agilitas.

Natura taurorum.

ricum

Signum ad fallēdos tauros.

ricum non tam elegantiæ cauſa, quam ad fallendos tauros ferunt. Iis autem ludis & exercitationibus, cum aut temporum opportunitate, aut alia cauſa prohibentur; alij ad pilam, alij ad talos, alij ad alia ludorum genera, quæ quiſque ſibi magis ad arbitrium comparat, ſe conferunt; plures tamen ad dominarum ſeruitium, & confabulationem, & animum & corpus intendunt; atq; eam ob cauſam corporis nitori; & elegantiæ maximè ſtudent. Vltra enim quam viros deceat, nec vero fœminas, aut aulam Regiam, nec domum quemquam inuiſerent, niſi aut bene & eleganter comati, & omnibus ſordibus expurgati. Quouis genere veſtimentorum, vel holoſericorum, vel auratorum vti lege prohibitum eſt, præter thoracem & crepidas; eam legem Rex tulit, ne nimijs ſumptibus nobiles ſua patrimonia ſtultè profunderent, conſumerentq; neue pecunias exteri mercatores auferrent ex Regno. Regem autem, quæ ſunt eorũ opes, imitari conantur, Ideo Rex legem quam de indumentis tulit, ipſemet in primis obſeruat, vt ex eo alij exemplũ ſumant. Memini me audiſſe a patre meo, qui Ioannem huius nominis tertium Emanuelis filium vidit, cum Catherinam Caroli quinti Imperatoris ſororem in vxorem duceret, indutum eſſe veſtibus laneis nulla arte elaboratis. Nobilium Luſitanorum veſtes quandam grauitatem præſeferunt; ſuperiore præſertim veſte, quam vulgo çapuciũ vocāt, atri coloris qua ſemper vtuntur ſine limbo, & alio quouis ornamento, ſed ſimplici & vndiq; clauſa, & ſatis oblonga. Plebs Materiana aliquanto mihi liberior videtur Luſitana: artificibus enim & ſordidis quęſtibus minus ſtudēt; quod apud eos ſerui, vt plurimum vilia miniſteria obeunt, & quamq; ex operibus mercedem capiant, eam omnem hero lucrantur. Sunt ergo hæc plebis ſtudia, nauigandi rationem habere, agriculturam exercere, nobiliores obſeruare, eorumq; patrocinia ſuis obſequijs adquirere. Gladiatoriam ad bellum, muſicam ad amorem addiſcere, choreas ducere, demum palæſtram exercere, & venationes taurorum

Veſtes nobilium Luſitanorum præſeferũt grauitatem.

Studia plebis Materianæ.

rorum celebrare. His duabus exercitationibus (vt exiſtimo) omnes homines antecellunt. Taurorum venationes plebs, infimaque multitudo pedibus exercent; ſumma quidem agilitate, & audacia; non enim armis freti ferocem taurum aggrediuntur, cum ne quis enſe, aut venabulo, aliouè quopiam telo taurum feriat, publico edicto caueatur, niſi ad opem, hominique ſalutem ferendam, aut ſigno dato (datur autem cum tempus eſt ludis finem imponendi, vt cum taurus defatigatione, & laſſitudine affectus, aut natura iners, atque animi abiecti eſt; quod tùm in quemquam inuadere atque ſe tueri neſcit) prodeunt homines, quos Taurarios vocant, ſine enſe, ſine venabulo, ſine lancea, haſtas tamen bicubitales in manu geſtantes, atque eas quidem leuiſſimas, & tenuiſſimas, his Taurum ſpumas agentem hinc inde ſtimulis agitatum, & irritatum, atque terram pulſantem adoriuntur, & adeò docti ſunt in huiuſmodi genere ludorũ, vt quiſquã tùm maximè aduerſus Taurũ alacriori animo veniat, quod quidem mirandum eſt, tùm ferox bellua maximè in eum ipſum maximo impetu irruit; huiuſce autem miræ venatorum audaciæ, & calliditatis ratio eſt hæc. Ab illarum haſtarum leuiſſimarum acumine ſuſpenſum ſignum quoddam breue lineum, aut ſericum pendet, in quod dum Taurus cornua immittit, venator alterum pedem ad dexteram, vel ad ſiniſtram referens mira celeritate caudam ad ſe recipit, & ita a valentiſſimæ beſtiæ oculis tollit ſe; at illa in alium quem ſors obtulerit, impetum facit. Hic itidem Taurum non minori agilitate audacter ludit, id quod facilimè poteſt efficere venator quiſque optimè exercitatus; ſiquidem Taurorum (vt diximus) ea eſt natura, vt quicquid eorum oculis primum obijcitur, id ipſum cornibus petat, & feriendo lumina obſerent: Bellua autem defatigata, aut ſpectatoribus ludorum ſatietate affectis tubarum ſonus venatores incitat ad mortem beſtiæ inferendam. Tum ipſi ſtrictis enſibus nullo negotio crura abſcindunt. Itaque Taurorum ferocitate, & venatorum ala-

Plebs materiana exercet Taurorum venationes.

Taurorũ venationes, aguntur in Inſula.

Maxima venatori audacia.

D crita-

critate animiq; præſentia atq; luſione ipſa eiuſmodi venationes in Inſula celeberrimè aguntur: Nullus autem apud plebem ludus eſt celebrior palæſtra, in qua ſummo ſtudio, & labore exercentur homines in primis ruſticani tam propter laudem quam præmiorum ſpe. Nam feſtis diebus frequentes veniunt in certamen præmijs propoſitis. Veſtimentis autem omnibus exuti, aut toto corpore nudi præter obſcæna parant ſeſe ad luctandum: non autem plures duobus palæſtritæ in campum veniunt. Horum victor, ſi lubet, ſemel atq; iterum in diſcrimen venit; ſin minus alij deinceps duo congrediuntur, & luctantur, qui verò ſuccumbit ei non eſt amplius facultas luctandi; laudatiſſimus tamen omnium eſt, qui cum pluribus ſigillatim certat in arena, pluréſq; vincit, huic palma præmiumq; datur. Athletæ duo præcipuè oberſuant; vnum vt manus in aduerſarium inijcere commodè poſſint; alterum, vt pedibus fallant, in quorum motu, & luſione ars quædam fallendi ineſt, vt aduerſarius vel prone, vel oblique vel ſupinus cadat, atq; vt multi ſunt modi in palæſtra decipiendi, atque varij caſus, lapſuſq;; ita actus illi pedũ varia nomina ſortiuntur. Conſtat enim tota palæſtræ ratio tùm in opportuna manuum apprehenſione, tùm pedũ quadam circumſcriptione, & inſidijs magis quam viribus, & lacertis. Memini me uidiſſe Marcum Bracharenſem, cum quo mihi, & patri meo maxima interceſſit familiaritas; hominem agreſtis horridiſq; viribus, & lacertis magno corpore piloſo, & lacertoſo ſuccumbere tamen Collatio homini delicato, & viribus longè impati: nec ſuccumbendi cauſa erat præterquam quod erat Collatius promptus ſagax, & doctus intercipiendi aduerſarium; exiſtimabant enim, qui aderant omnes, Marcum vna manu deiecturum iuuenem Collatium, qui tamen vbi illum manibus apprehendit pedis vnius fraude illum præcipitem dedit. Tùm Marcus vehementer commotus atq; ira accenſus vt oſtenderet ſe non viribus ſed dolo ſuperatum ſingulis manibus ſingulos Collatij manuum artus ſic arctè conſtrinxit, vt ſanguinem è digitorum

[Margin: Palæſtræ ludus celebris eſt in materia.]

[Margin: Quæ athletæ in luctãdo obſeruant.]

[Margin: Palæſtræ ratio in quo conſiſtat.]

[Margin: Marcus Bracharenſis homo magnis viribus.]

[Margin: Mira ſagacitas Athletæ]

torum vnguibus extorqueret. Quare Collatius dolore ingemens, & propter magnum cruciatum clamitans, Marco victoriam ceſſit, qui magna edidit facinora cum Galli Inſulam ex inſidijs aggreſſi ſunt: erat enim vir impiger, & in bellicis rebus exercitatus, ſed cum noſtri nec arma, nec fiſtulas ferreas haberent; ipſe ſimul cum multis alijs occiſus fuit. Hoc in loco lectorem admonitum eſſe vellem Materiam nō procul ab Inſulis Fortunatis diſtantem ſemper fuiſſe inhabitatam, nec in ea vllum fuiſſe hominem inuentum, vt diximus, quod contra accidit in Inſulis fortunatis. Nam in Inſula Cānarię, & reliquis, homines quos Guances, vocāt noſtri, reperti ſunt, Idiomate ſatis obſcuro vtebantur, Idolis erant dediti, domos non habebant; ſed ſpeluncas quaſdam altiſſimas incolebant, cuius rei cauſam eſſe arbitror, ſiquidē prius ab exteris nationibus repertæ fuerint; quod contra in Materia euenit. Nam memoriæ proditum eſt Hamilcaris patrem Hanonidem illùc ex Africa cum exercitu ſuo appuliſſe, quēm contra Romanos conflarat: quod verum ex eo eſſe arbitror, quia Africa propinqua exiſtens indè facilè homines in Fortunatas Inſulas poterant traijcere. Materia vero longè diſtans, & uidebatur mons altiſſimus arboribus conſitus, non ita facilè erat illùc tranſmigrare. Sed nonnulla breuiter, & ſtricte de his Inſulis dicam: a Cānaria incipiens. Eſt Inſula Cannariæ omnium aliarum caput. In ea Conſilium Regis Catholici moratur, Ciuitas eodem nomine, quo Inſula, Cānaria appellatur; eſt ſatis opulenta ædificijs tùm publicis tùm priuatis ſatis ornata. Epiſcopus in hac Inſula commoratur, qui redditus ſatis congruentes habet, cum ad duo de uiginti millia aureorum aſcendant, Cathredalem Eccleſiam ſub Inuocatione beatæ Annæ ſatis elegantem; & optimè ornatam habet cum maximo Canonicorum numero adeò; vt auſim aſſerere in vniuerſa Hiſpannia aliam nec præſtantiorem, nec ornatiorem reperiri; ædificijs tam publicis quā priuatis abundat Ciuitas; quę in quadam planitię ſatis magna eſt ędificata, nec mœnibus, & nec murię

Canaria Inſula fortunata.

cincta eſt; quamuis duo habeat propugnacula ad propulſandas Piratarum in curſiones, qui illùc ſœpiſſimè commeant.

In inſula Canariæ nullus eſt portus.

Inſulæ portus eſt nullus, quamuis naues cum flat Auſter, ad ciuitatem Telde confugiant. Hanc Inſulam duo hominum genera incolunt; nobiles & plebei. nobiles, qui Regia munera obeunt, quos Rex Catholicus ex Inſulanis eſſe noluit, ſed ex Hiſpania aut ortos aut oriun dos eſſe uoluit; plebei aut mercaturam aut agriculturam exercent, vel alias artes ſordidas faciunt: ferax eſt ſaccari, & frumenti. Naues quæ in occidentalem Indiam nauigant inde diſcedunt. Duo Monaſteria ordinis Sancti Franciſci, & aliud ordinis Sancti Dominici habet. Sunt & alia oppida præcipuè Aguimes, quæ, breuiati ſtudens, prætermittenda duco. Secunda Inſula ex Cānarijs Tenerife dicitur ſatis ferax omnium rerū; quas natura fert: Continens potius quam Inſula videtur. In ea eſt ciuitas, quam Incolæ Lagunam vocant; ædificijs tùm publicis tùm priuatis ornatiſſima, duo monaſteria habet, vnum ordinis Sancti Franciſci, aliud ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, aliaq; minora oppida. Tertia eſt Inſula, quam Palmam vulgò vocant, non ita ferax vt Tenerife, Pecorum tamen ſatis abundans. Hanc Inſulam quidam Gallus nomine Pes ligni de anno 1553. diripuit. Quarta Gomera dicitur ſterilis, & pauciſſimos continens colonos. Quinta Lancarote vocatur adeò ſterilis omnium rerum neceſſariarum humano victui, vt nec aquam, nec vinum ferat. Incolæ tamen ſolent quaſdam foſſas hyemali tempore ſatis magnas facere, vbi aquam cumulant; quam verno tempore bibunt, eà tamen exhauſta nullam præter exportatam habent. Solent autem Materiani, cum ſit ſatis vicina, illùc importare fructus, vinum, aquam & alia; quibus Materia abundat, & eà indiget. Cùm de menſe Septembri ego agerem in hac Inſula, animi gratia eam perluſtraui vniuerſam, folium viride in ea non vidi q ne dicam me in illa vidiſſe arborem, quam nullam habet; attamen pecorum eſt ferax, quorum carnes ſuauiſſimæ ſunt guſtui;

Tenerife eſt vna ex Inſula fortunarij.

Inſula Palma.

Inſula Lancarote.

Hoc autem ideo accidit, quia ex aqua ſalſa bibunt, quod neceſſarium eſt deficiente frigida dulci in vniuerſa Inſula, vt diximus. Quidam nobilis Hiſpalenſis hanc Inſulam Comitis titulo poſſidet, quem ego in Inſula noui. Sexta eſt Forte ventura, quæ a Lancarote parum diſtat. Hanc Inſulam Paſtores, & armamẽtarij ſolũ colunt: nullum habet portum. In ea oppidũ eſt ſatis exiguũ, tale nomen, vt arbitror, fuit ſortita Inſula eò quod Guances in ea defendẽda noſtris maximam moleſtiam exhibuerint. Septima & vltima appellatur Inſula ferri, ita appellata, vt arbitror, quia potius ferrum quam ipſa coli poſſit ab hominibus. Aqua indiget; incolæ tamen ſimul cum pecoribus aquam, quæ a quadam arbore ſtillat, bibunt; quod cum mente euoluerem, ſatis difficilem, & obſcurã rẽ eſſe arbitror. Vellem vt rerum naturalium ſcrutatores rei huius cauſam conſiderent. Res autẽ ſic ſe habet. Eſt arbor propè Inſulæ littus, quam quædam nebula veſpertino tempore circumducit, nocturno vero tẽpore liquefit, & tota quibuſdam ſulcis colligitur, vndè omnes Inſulani aquam exhauriunt, quæ ſibi neceſſaria videtur, quæ ſupereſt, pecoribus tribuitur. Antonius Perenotus Cardinalis Granuellanus hoc vehementer admirabatur. Sed ad inſtituta reuertamur. Inſula Materiæ eo ex tempore; quo fuit reperta, nullum detrimentum paſſa fuit, nec Piratæ illam aggredi audebant, præterquam quod de anno 1566. a Gallis die tertia octobris capta, & direpta fuit ex inſidijs, adeò vt nihil in vrbe fuerit tam ſacrum, quod impijſſimorum manus non profanauerint. Per vigintiquinque dierum ſpatium in Inſula commorati ſunt; quo tempore profligatiſſimi hæretici res ſibi ſimiles perpetrarunt. Si autem citò ab Inſula non diſceſiſſent, noſtra claſſis eos omnes in Luſitaniam captos abduxiſſet. Eo ex tempore ciuitas muris cincta fuit & armis ab hoſtium impetu ſemper defenſa eſt; & Rex noſter Catholicus duas arces cum numero militum ſatis congruenti habet, ex quibus poſt cladem acceptam, vna de nouo ædificata, alia ſatis accommodata fuit.

Inſula forte ventura dicta.

Inſula ferri.

Res admiranda & notatu digna.

Materia fuit ad Hæreticis direpta.

Iam vero quæ de Materia dici, & ſcribi poſſunt quæq; de incolis, & eorum moribus ſcitu digna ſunt, ea a me hactenus ſatis enarrata fuerunt.

LAVS DEO.

ORATIO
HABITA CORAM SANCTISSIMO D. N. CLEMENTE VIII.

Die xxiv. Maij 1592. in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis inter Miſſarum ſolemnia.

ET ſi nulla gens fuerit Beatiſſime Pater tam (Rom. 1.) immanis & barbara, quæ aliquā Dei notitiā non habuerit, tamē Chriſtiani, quibus iuſtitia Dei de fide in fidem reuelata eſt, de Deo vno vero trino in perſonis, in cuius fruitione, & cognitione hominis felicitas poſita eſt, vnitatem fœcundam, Trinitatem incomprehenſibilem, vnigenito ipſo, qui eſt in ſinu patris, enarrante, at- (Io. 1.) que Spirituſancto inſpirante veram certam, diſtinctamq; ſupra cæteros lumine fidei cognitionem habuerunt; hoc profitentes aliarum ſcientiarum initia manifeſta eſſe oportere & propè aſpectabilia. Huius verò ſpeculationis, quæ de Diuinis eſt, inopinata & paradoxa niſi ſuperiore fidei lumine mentes humanæ illuſtrentur: accedentem enim ad Deum (Heb. 1.) non quærere, ſed credere oportet quia eſt: niſi crediderimus non intelligemus, aſſentione non diſputatione, orationibus non rationibus opus eſt: hic non magnitudo ſenſus, ſed humilitas, hic non ſublimitas ſermonis, ſed oſtenſio virtutis requiritur; Ideo Chriſtus ait, Confiteor tibi Pater Domi- (Matth. 11. Luc. 10.) ne cœli, & terræ quod abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Humilitas ſanè atq; ſim-

plicitas

plicitas credendi omnibus qui quærunt Dominum, & faciẽ Chriſti ſui neceſſaria eſt: & quanto quis ſe ipſum magis deſpicit, & abnegat, tanto penitus fide Deum attingit. Itaque Philoſophi, & ſapientes huius ſæculi ſcrutatores maieſtatis Diuinæ oppreſſi a gloria vix vmbram veræ ſapientiæ aſſecuti euanuerunt in cogitationibus ſuis, & ſapientes ſe eſſe credentes ſtulti facti ſunt. Cum enim humanæ mentis acies inualida in tam excellenti luce non figeretur niſi per iuſtitiam fidei ab operibus mortuis emundata, & ſupra naturam eleuata ad ſeruiendum Deo viuenti, atq; non niſi docente, & reuelante Deo res diuinæ cognoſci poſſent, ipſi verò ſibi nimium tribuentes quaſi ſatis haberent in ſe a natura præſidij ad diuina intuendum, & vera a falſis ſecernendum, obneſcio quam perexiguam, & adumbratam ſcientiæ perſuaſionem nolentes intrare in potentias Domini in ipſo ſtatim limine impingentes alij nullam dixerunt, alij falſam pro vera religione tenuerunt, vt certiſſimum ſit animales Philoſophos ambulantes in vanitate ſenſus ſui, obſcuratũ habentes intellectum, alienatos a virtute Dei non ſolum perfectam in Diuinis veritatem non inueniſſe, ſed nec inuenire ſic potuiſſe, cum quomodo & vbi quęrenda eſſet ignorarent; ſenſum enim Domini quis intelliget? niſi Deus dederit ſapientiam, & miſerit Spiritum ſanctum ſuum de altiſſimis. Hoc ergo conabor (Beatiſſime Pater) vt quid de Sanctiſſima Trinitate fide Catholica credendum, recipiendum, & profitendum ſit, breuiter conclndam. Orthodoxorum omnium Patrum, Athanaſij, Hilarij, Gregorij Theologi, Baſilij, Ioannis Chriſoſthomi, Cyrilli, Cypriani, Auguſtini, & Conciliorum Oecumenicorum inſtitutũm eſt docere ſecundum ſcripturas, quod Deus tam ineffabilis eſt, vt vnus exiſtens trinus ſit, vna natura nullo modo multiplicabilis, nec vlla eſt in ea diuerſitas, ſed perfecta vnitas, vnum hoc ſic eſt, vt nulla ſit in ea ſolitudo, ſed tres ſunt in hac omnimode vna natura perſonæ; pater generans, filius genitus, Spiritus ſanctus a patre & filio procedens, atq; genitoris, & geniti

Ad Heb. 9.
Pſal. 70.
Ad Ephe. 4.
Sapien. 9.

geniti nexus, & vnio, quæ ſingula tam longè intelligentiã humanam ſuperant, vt nullum flumen ingenij, nulla dicendi copia rationem tanti myſterii complecti poſſe videatur; Aug. 10. de ciuitate Dei cap. 2. vt vel ſola mutatione nominis vnitatis, & Trinitatis grauiſſimè impingere poſſimus, atq; licentia verborum falſas interdum opiniones gimnamus, videbitur profectò glorioſa, ineffabilis, & incomprehenſibilis Trinitas Vnus Deus, pio quodam l. de Trinitate. ſenſu, & mentis exceſſu magis quam verbis honoranda; de qua tamen veteres duobus modis ſolitos fuiſſe tractare ſcribit Auguſtinus. Quidam dum Trinitatis aliquod ſpecimen effingere vellent exemplis potiſſimum vſi ſunt, veluti intellectus, volunratis, & memoriæ, quæ tres inuicem diſtinctæ facultates vnicam animæ complent eſſentiam: Item animæ, & corporis, & vitalis caloris, quæ ſua inter ſe natura diſtincta in vnicam hominis hypoſtaſim concurrunt. Alius de Trinitate tractandi modus ſecuriſſimus videtur, cum ſimpliciter abſque vel demonſtratione vel exemplo veritas ex Sacra Scriptura proponitur credenda; quod facilè reperiemus, ſi beatum Ioannem Euangeliſtam audiamus, qui Chriſti aduentum atq; humanam naturam expoſiturus neceſitate quadam a Sanctiſſimæ Trinitatis declara- Ioan. 1. tione exorſus eſt. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: cum ante aduentum Chriſti parum communicata Trinitatis ſpeculatio haberetur, & quamuis in veteri teſtamento multa ſint lota, in quibus in Deo pluralitas perſonarum inſinuàtur, parum tamen & paucis extitit apud eos explicata hæc diſtincta perſonarũ in vnitate eſſentiæ veritas. cùm alijs de cauſis, tùm quod tres in Diuinis perſonæ nondum diſtinctè apparuiſſent, vt Marc. 1. poſteą in baptiſmo Chriſti, & miſſione Spiritus ſancti. Nõdum ad ſacratiſſimorum nominum nouitatem cœlorum pa- Bernard. in in ſermone de S. Ioanne Baptiſta. latia reſerata videbantur. Nondum hæc vox Dei patris in Chriſti transfiguratione, vt & in baptiſmo, perſonuerat, Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ipſum audite. Nondum hæc Chriſti promiſſio diſcipulorum

mentes

mentes ex hilarauerat, Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis, qui a patre procedit, & ille me clarificabit quia de meo accipiet: cœpit enim tùm poſt baptiſmum Chriſti, Aſcenſionē in Cœlum, & Spiritus ſancti miſſionem celebris eſſe diſtincta perſonarum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti in Baptiſmo Chriſti, & cæteris Eccleſiæ benedictionibus enunciatio. Sic fides, quæ eſt (vt inquit Paulus) ex auditu, & auditus per verbum Dei pleniſſimè comparatur, nutritur, augetur, & illuſtratur. Satis autem (meo Iudicio) de Sanctiſſima Trinitate ad ſalutem cognouerit, qui reuelata a Deo, eo, quo proponuntur modo ab Eccleſia tenenda, pia credendi ſimplicitate receperit, vt hic non intelligenda mente veneretur; intellecta veneranter teneat, quæ nondum cognoſcit humiliter expectet. Quicquid ergo ratio acclamauerit, quicquid apparens probabilitas oſtenderit in cognitione Dei, & Sanctiſimæ Trinitatis miſterio non viribus noſtris ſed Eccleſiæ innitamur. Credamus reuelāti Chriſto, & ſigillum, quo in baptiſmo inſigniti ſumus, teneamus, baptizati ſumus In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt tres perſonas intelligeremus, & vnum Deum confiteremur. Hoc eſt vnum illud teſtimonium, de quo Ioannes ait, Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; merito autem dant vnum teſtimoniū quia tres hi vnum ſunt.

Ioan. 14. & 16.

Greg. lib. 2. Moraliū cap. 9.

1. Ioa. 5.

LAVS DEO.

*Oratio habita coram S*mo *D. N. Gregorio xiij. die* 24. *Maij* 1582. *in die Aſcenſionis Domini.*

HOdierna die, Beatiſſime Pater, abſolutum eſt quadraginta dierum interuallum poſt admirandam Redemptoris noſtri reſurrećtionem, hac ratione maxima Dei prouidente poteſtate, vt dum à Chriſto corporeæ præſentiæ mora protrahitur, fides noſtra corroboraretur pręceptis neceſſarijs. Etenim cum Diuina eius virtus multa miracula in terris ediderit, haud facilè dixerim, fuerit ne opus aliquod illius, ea fide, quam fecit in terris, admirabilius. Nam ſi humanę mentis anguſtias ratione conſideremus, cum ea nihil ſibi perſuadere poſſit, niſi quod ſenſibus obiećtum ſit, aut perſpicua & euidenti ratione concluſum; nullo modo adduci poterant plerią. mortales, vt ea crederent, quæ non ſolum cum ſenſibus pugnant, verum etiam omnia humanæ rationis argumenta longè latèq. ſuperare videantur. In cœlum igitur Saluator hodiè aſcendens per vniuerſum orbem ſacrum Euangelium, &
Mar. 16. hanc ſanćtam fidem promulgari iuſſit, & credentes ſalutem
ad Heb. 1 comparaturos eſſe promiſit, accedentem enim ad Deum non quærere, ſed credere oportet, quia eſt: niſi crediderimus non intelligemus. Hanc fidem, non exilia, non fames, non ferarum laniatus, non carceres, non ignis, non inaudita perſequentium immanitate ſupplicia deterrere vllo modo potuerunt. Pro hac non tantum viri & fœminæ, atque impubes pueri, ſed etiam teneræ virgines vſque ad effuſionem ſui ſanguinis decertarunt; vt cum illis aćtum eſſe præclare admodum iudicarent, ſi pro Chriſti nomine mortem & cruciamenta omnia pertuliſſent, illumq. inuićtis animis per omnes flammas ſequebantur, vt non modo cruciatus non horrerent, ſed etiam nihil optarent ardentius, quam vitam in cruciatu ſummo pro gloria illius profunderę. Vt ergo æternæ glorię poſſemus eſſe participes. omnibus quę ad ſalutem

noſtram

noſtram ſpectare videbantur expletis, in Oliueticum montē tùm beatiſſima Virgine, quam infinito amore proſequebatur, tùm ſanctiſſimis diſcipulis, quos tenerè diligebat, comitatus Chriſtus ſe confert; in quorum conſpectu eleuatus, veſtigia lapide relinquens impreſſa, cum immanes vires hoſtis antiqui perfregiſſet, mortem labefactaſſet, peccata euertiſſet, homines ab interitu vendicaſſet, cupiditatis immanitatem profligaſſet, mortalium animos quietos & tranquillos effeciſſet & ex immaniſſimo atque teterrimo Chriſtiani nominis hoſte victoriam retuliſſet, & exultantem eius audaciā compreſſiſſet, & de omnibus inimicis clariſſimum triumphū duxiſſet, in cœlum tandem ſumma cum gloria bellorū omnium victor aſcendens, præclariſſimum agens triumphum diſcipulis intuētibus, Angelorum multitudine ſtipante, hūc ſibi præparatum triumphum à patre Deo exercituum, poſt victoriam quam a mundo & morte atque teterrimo & immaniſſimo humani generis hoſte retulerat, ſummo gaudio recepit. Vtinam vt mente & cogitatione ita verbis hunc ſanctiſſimum triumphum poſſem explicare; in quo triumphator vnigenitus Dei filius, diuinos oculos veluti ſtellas fulgentes, faciem veluti Solem ſplendentem, veſtem veluti niuem candidam, capillos veluti lanam mundiſſimam, vocem veluti fluminis murmur, pedes veluti oricalcum, alio mare, alio terram conculcantem habet, harmoniæ concentu, quo vniuerſos Angelorum choros ad ſe allicit, inquit, Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, Deum meū & Deum veſtrum. *Ioan.* 20 Triumphantem ea qua potui verborum dilucida varietate & venuſtate elaborata præ oculis propoſui; nunc illū pulcherrimum triumphum explicare non vtile ſolum erit, verum etiam neceſſarium. In vexillo præeunte Rex Regum, & Dominus dominantium inſcribitur, triumphator humani generis hoſtem ſub pedibus aſperrima grauiſſimaq. ſeruitute premit, mors pallida retroſequitur, & contremiſcit, princeps mundi proculcatur, Imperatores & Reges ſceptra proſternunt, & eum adorant, & venerantur, Apoſtoli per vni-

uerſum orbem ſummis ęncomijs eum extollentes ſana do-
ctrina omnes nationes vario idiomate inſtituunt. Sacri Euangelij Scriptores ad finẽ vſque Diuinam hiſtoriam con texunt. Moſes & Elias maius quam in monte Thabor te-ſtimonium exhibent, Beata Virgo ſe tanti filij matrem eſſe conſiderans illum miro gaudio intuetur. In nube ergo veluti glorioſo curru inuehitur triumphator. Angelorum multitudo eum retroſequitur, electorum turba eum comitatur; qui fauſtis acclamationibus omnia perſonabant; & redundantem & foras erumpere geſtientem lætitiam, ore, oculis, manibus, vultu indicabant, & omnium in Chriſto figebatur obtutus. Quid ergo? fuit ne aliquando apud Romanos, Græcos, Perſas, aut alios nobilior triumphus? ſupra thronũ tandem nubis non in Romanum Capitolium, ſed in immenſos cœlorum campos victor & triumphans Saluator aſcendit, & ſupra vniuerſam cœli militiam & vltra omnium altitudinem poteſtatum ad Dei patris eſt dexteram euectu;. O triumphum nulla delendum vetuſtate, nulla inobſcurandũ obliuione. O beatiſsimum Angelorum cœtum, ò feliciſſimã Sanctorum multitudinem Chriſtum comitantem; quam ipſe in libertatem reſtituit & vendicauit, opibusq. Diuinis exornauit. O beata vita veſtra, quæ tali morte concluſa eſt, O beata mors, quæ tali vitæ principium dedit. O rem obſtupendam, memoratuq. dignam; ò Aſcenſionem admirandã & perpetuò prædicandam, quam fauſtam atque felicem nobis poſterisq. noſtris tui memoriam reliquiſti. Solem equidẽ ipſum in tam pulcherrimo ſpectaculo ſolito nitidius eluxiſſe arbitror, vt Beata Virgo, diſcipuliq. omnes maiori gaudio & lætitia perfrui potuiſſent. Qui nam igitur arcus? quæ ſtatuæ? quæ columnæ? quæ trophæa? tali triũphanti poterũt excitari? quæ non dico paria eſſe meritis, ſed illorum partem aliquam adumbrare poſſint. Quis non de conſequentis vitæ ſpatio annum vnum, vel potius decem, ademptum ſibi velit (ſi fieri poſſit) vt ſibi liceret tali ſpectaculo intereſſe? Quis reperietur, qui tantum triumphum ſummis lau-

dibus

dibus ad cœlum efferens non potius metuat, ne aliquid de illius magnitudine detrahat & diminuat, quam verbis ſe illum exæquare poſſe confidat? ſemper enim iuſtum minuendi metum faciunt ea, quę amplificandi ſpem ſua magnitudine ſuſtulerunt. Durum equidem fuerat audire (non inficior) immaniſſimum atque teterrimum generis humani hoſtem primũ parentem, vt crimen perpetraret, impuliſſe; tot hominum millia in ſeruitutẽ abduxiſſe, tot regiones vaſtauiſſe, tot ſtrages edidiſſe, cum Chriſto in ſingulare certamen deſcendiſſe, & reliqua, quæ (vt veſtrã effugiam ſatietatem) prętermitto. Sed ſi Chriſti potẽtia apud omnes gẽtes & nationes aliter illuſtrari in hodierno triũpho non poterat, quã poſt tot acceptas calamitates propè eſt, vt exclamẽ, tãti fuiſſe. vt amænitas, & verni tẽporis clementia noſtros animos minus exhilararet, niſi aſperitas, & rigor hyemis eam anteceſsiſſet; ita minus huius ſanctiſsimi triumphi iucunditatem atque dulcedinem omnes ſentiremus niſi eam cum acerbitate, & triſtitia temporum ſuperiorum conferremus. Dominus eſt, vt dicitur, qui medetur, & vuulnerat, qui *Iob* 1.
percutit, & manus eius ſanabunt; qui viuificat, & mortificat, qui deducit ad inferos, & reducit, qui pro pietate ſua clementiaq. ſingulari nos caſtigans caſtigauit, ſed morti minimè tradidit. Eleuatus in cœlorum ſublimia ſaluator vſque *Pſal.* 11
dum ad iudicandum tam viuos, quam mortuos adueniat. Quare ſacratius innotuit, cum ſe in paternam gloriam contulit, & ineffabili modo diuinitate cœpit eſſe præſentior, qui factus eſt humanitate longinquior. Diſcipulis magiſtrum in cœlum aſcendentem intenta admiratione ſuſpicientibus duo Angeli veſtium nitore fulgentes illis dicentes adſtiterunt; viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlũ? *Act.* 1.
Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt, à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum, ne in dubium vocaretur omnia ſub illius exiſtere poteſtate, cui ab ipſo natiuitatis corporeæ exordio famulatus inſeruiret Angelicus. Vt enim de Spirituſancto Chriſtum concipiendum

Ange-

Angelus prædixit, ita de Sanctiſsima Virgine editum vox cœleſtium paſtoribus enunciauit, vt à mortuis reſurrexiſſe Angelicum primum docuit teſtimonium; ſic ad mundum iudicandum in ipſa carne venturum officia Angelorũ prædicarunt. Surſum ergo animos noſtros vocatos fluxa, & caduta non deprimant; ad æterna præelectos mortalia, & terreſtria non retardent; viam veritatis ingreſſos fallaces illecebræ non abſtrahant; cum humile abiectumq. ſit humi defixam mentem habere, nec cœleſtia atque ſempiterna, ſed vana, & peritura intueri, opibuſq. fluxis, & caducis extolli, quando ſubito omnes humanæ opes euaneſcant, & ſummus ille Iudex eorum ſtatum, qui ſibi nimium præfidunt, quaſi turbine quodam conuellat, & deijciat. Cui enim exploratum eſſe poteſt omnia ſibi ad extremum vitę Spiritum feliciter euentura? Quis eſt qui ſibi queat diem, vel horam potius omni calamitate liberam polliceri? vt enim lucem tenebræ conſequuntur, vt aduerſa tempeſtas ſolet nautas, & vectores inopinantes opprimere; ſic caſus acerbi florentem ſtatum ſæpenumero peruertunt, malorumq. omnium fluctibus obruunt, & ad miſeriæ ſempiternæ ſcopulos alliduut, & quo magis homines ſecuri ſunt, eo grauius, cum in eos calamitas incurrit; affliguntur. Quocirca in hac mundi valle veluti peregrinos eſſe intelligamus, & Chriſtũ, qui hodie in Cœlum aſcendit, quem nos ſi non corpore, ſaltim animo imitemur aſcendentem, inuocantes; altum non ſapiamus, ſed timeamus ne fortè contriſtemus Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati ſumus in die redemptionis nihil nos ſcire arbitrantes præter Ieſum, & hunc Crucifixum.

ORA-

ORATIO HABITA ROMAE IN LAVDEM S. D. N. *Sixti V. Pont. Opt. Max. à doctore Emanuele Conſtantino cum in Gymnaſio Romano, primam Logicæ Cathedram inciperet explicare: Tertio nonas Nouembris. 1588.*

SI eorum, quæ oratione explicantur, amplitudo, & maieſtas non aliundè, quam ex eius qui de illis diſſerit, ingenio, & oratione penderetur, vehementer mihi hodierno die pertimeſcendum eſſet, ne tot, tantarumque laudum dignitas ingenij mei tenuitate, & orationis inopia imminueretur. Dicturus enim de Sanctiſſimi D. N. Sixti V. & re, & nomine Pontificis Opt. Max. laudibus, qui mihi meum locum in concurſu contra quatuor oppoſitores quam honorificè comparatum iterum reſtituit; vereor, ne cum dicendi priucipium, vel facilimè reperero, exitum reperire non poſsim. Etenim ſi quis illas ita ſe dicere poſſe confidat; vt rerum magnitudini Orationis pulchritudo correſpondeat; eum oportet aut ita eſſe in dicendo exercitatum, vt facultate ſua fretus nihil ſibi difficile aut arduum putet, aut ita inexercitatum, vt errore ductus rerum pondera, & momenta ſatis acutè, & intelligentèr inſpicere, & dijudicare non poſſit. Atque Sanctiſsime Sixte, veluti ſi in hoc Gymnaſio præſens eſſes, tecum loquar, & abducam a te Orationem meam, & auocabo eam a perſona tua, & de te reticens rem tantum ipſam excutiendam conſiderandáq. proponam. Si quis igitur reperiretur, qui ab ipſo ineuntis ætatis principio, illud arduum, atque cum labore ad virtutem directum iter ingreſſus, hoc robore animi, hac indole continentiæ eſſet, vt omnia voluptatum blandimenta reſpuens, nihil in vita aut magnifaciendum, aut expetēdum putaret, niſi quod eſſet cum laude, & cum dignitate coniunctum, ſeque iam tùm a corpore quam maxime abſtrahens ad diuinarum rerum cognitionem cura omni, ſtudioq. raperetur. Quis enim non facilè auguraretur ex illa herbe-

ſcentis

ſcentis, ſeſeq. exſerentis ingenij teneritate magnas aliquãdo virtutis atque ſapientiæ fruges extituras? Ad hæc ſi in eam ſodalitatem nomen dediſſet, quæ ex quo primum inſtituta eſt, perpetuum quoddam Seminarium hominum, & virtute, & doctrina præſtantium fuit. Quis nõ in ea ſpe,quã antea cõcepiſſet,magis atque magis confirmaretur. Iam verò ſi multos annos in eodẽ ordine ita vixiſſet, vt nõ æqualibus ſuis modo, & maioribus natu; ſed ipſis ſenioribus maximum exemplum innocentiæ, & integritatis eſſet; nullam vnquam vllius turpitudinis aut flagitij, ne tenuiſſimam quidem ſuſpicionem dediſſet, nec in caſtigandis aliorum delictis remiſſus eſſet, & tamen alijs omnibus facilius ignoſceret quam ſibi, pium & iuſtum bellum cum omnibus vitijs indixiſſet, tum præcipuè prauis veræ,& Catholicæ religionis contrarijs opinionibus,multos mortales, aut errore lapſos, aut ab alijs in fraudem inductos reuocaſſet in viam; nemo (vt opinor) inueniretur, qui non tantum illud virtutis conſtantiæ, & probitatis lumen in excelſo, & illuſtri loco collocandum arbitraretur. Ad hæc omnia ſi iudicium, & auctoritas acris alicuius atque ſeueri Pontificis accederet; qui nulla alia re prorſus quam illa præſtanti virtute commotus eum virum,de quo loquimur,nihil tale ambientem, ſed nec cogitantem quidem in Sacroſanctum Cardinalium Collegium adſciſceret, isq. ſe in illo dignitatis gradu conſtitutus eundem toto quindennio præſtaret, quem in alijs vitæ partibus præſtitiſſet: quis bonus non ei Pontificatum maximum ope votiſq. omnibus deſtinaret? Quis non omnes Chriſtiani nominis atque animi prouincias gaudio triumphaturas, florenteſq́.atque beatas fore tali ſibi dato gubernatore confideret? Hęc ſi in extremis Germaniæ,Galliæ,aut Hiſpaniæ, ſeu etiã remotioris alicuius prouinciæ partibus dicerem, pro certo haberem cognitum iri ab omnibus te, Sixte Quinte, eum eſſe, quem mea iam dudum notaret, atque deſignaret Oratio. Nam quæ tandem vitæ tuæ pars non eiuſmodi fuit, vt in ea, cum ſemper reperirent boni, quod imitarentur,ni-

hil re-

hil reperire poſſent improbi, quod calumniarentur? Maiori tu & tranquilliori animo paupertatem tuliſti, quàm reliqui diuitias ferunt; nunquam tu honores ſecutus es, ſed recto itinere gradientem, & de ſola virtute ſollicitum, de alijs rebus non laborantem, ipſi ſunt te vltro honores conſecuti. Nihil te dignitas Cardinalatus immutauit, niſi quòd, vt tuæ virtutes à pluribus cognoſcerentur effecit: eandem, quam priuatus comitatem atque affabilitatem, eundem cultum, eandem vitæ atque diſciplinæ ſeueritatem retinuiſti, & adhuc in Summo Pontificatu retines. Vna erat omnium vox, neminem eſſe, qui maiori cum libertate ſententiam diceret, qui minùs ad gratiam loqueretur, qui quæ vera rectaq. eſſent, conſtantius atque animoſius tueretur. Itaque non in ſermone tuo tantum, ſed in vultu atque nutu magna ineſſe videbatur auctoritas. Tanto igitur & tam repentino omnium Cardinalium conſenſu ſummus Pontifex renunciatus es, vt ſi cui fortè dubium fuerat, hominum ne iudicio, an Diuino numine Summi Pontifices crearentur (quod tamen nemini vnquam bono dubium fuerat) ea tota dubitatio in tuis comitijs ſublata eſſe videatur. Non te fumoſæ maiorum tuorum imagines, non inuidioſa diuitiarum magnitudo, non eblanditæ Principum commendationes, ad iſtum Celſiſsimum dignitatis gradum euexerunt, ſed eadem illa virtus, quæ te ab ipſis incunabulis ſuſceptum perpetuò comitata fuerat, ſerius omnino, & votis noſtris, & meritis tuis, te tandem celſiſsimo dignitatis inter homines Deo proximo ſolio ſuis ipſamet manibus collocauit. An vero, quod Romana ciuitas hodie viget, quod floret, quòd beata eſt, an aliundè id fieri exiſtimatis, quam quod ei præeſt Sanctiſsimus Sixtus. O Diuine Plato tua ſunt hæc omnia, & dicta, & cogitata præclarè. Tu enim dicere ſolebas tùm demum eas Reſpublicas beatas fore, cum eas aut Philoſophi regerent, aut qui eas regerent, Philoſophari cœpiſſent. Tecta equidem iſta in frontiſpicio vbi nomen tuum ſcriptum videmus, & faſtigia, vbi arma tua intuemur, tuam

 libera-

liberalitatem, benignitatem, prudentiam, animi magnitu-
dinem loquuntur. Tot etiam templa tuo ſumptu refecta, tot obeliſci ab antiqua ſede reuulſi, tot fontiũ gelidæ peremnitates, tot viæ paſsim exornantes vrbem, tot ædificia de nouo ædificata, tot improborum fugæ, tot prædonum cædes, tot triremes conſtructæ, quibus noſtrum mare tutum, & ſecurum eſſet, tanta vilitas annonæ, tanta iuſtitia in vrbe, inſuper æraria nummis impleta, quę nuper exhauſta vidimus, & alia, quæ in dies magis atque magis maiora promittis, nomen tuum immortale fore teſtantur. Duo etiam illa lumina Cœli D. Petrus, & Paulus ſplendentia, auroq. micantia, quæ ſupra Traiani Antoniniq. columnas collocari iuſſiſti, non ne clariſsimè demonſtrant nomen tuum nulla vnquàm vetuſtate delendum, nulla inobſcurandum obliuione? In ipſo autem Pontificatu qualis ſis, ſi quis ſubtilius, & diligentius requirere inſtituat, ita reperiet multis ſæculis nullum Pontificem fuiſſe, qui ad veteres illos, Silueſtrum, Leonem, Gregorium, Sixtum, Paulum, & eiuſdem generis alios, ratione, & conſuetudine viuendi propiùs acceſſerit. Si enim priuata, & domeſtica ſpectemus, eandem in victu cultuq. parcimoniam retinuiſti, quibus te a principio, cum adhuc in monaſterio eſſes, aſſueſeceras. eadem ſunt ieiunia, eædem preces, eadem interioris veſtimenti aſperitas; nec quiſquam vnquam intemperans tanto ſtudio voluptates corporis conſectatur, quanto tu eas perpetuò repudias. Quod ſi quidam ex veteribus Romanis eo nomine felix habitus eſt, quod ab eo nemo vllã rem improbam petere auderet. Quid de te Sanctiſsime Sixte dicam, quem omnes, quicquid petituri ſint, in quo vel minimum turpitudinis inſit tamquam ſcopulum quendam refugiunt. Nunquam ex ore tuo verbũ vnum prodijt, quod non aut ad Dei laudem, aut ad eorum, qui adſunt, emendationem pertineret. Itaque licet in terra poſitus adhuc ſis, tamen verſaris in cœlo, & quanquam hic nobiſcum viuas, es tamen ciuis ſanctorum, & domeſticus Dei. Reuocaſti veterem Eccleſiaſticam diſciplinam,

quæ ita obſoleuerat, vt vix eius imaginem in veterum temp-
ſtis agnoſceremus. Qui ethnicorum more viuunt, Ethni-
corum more laudentur. Ego tam ſancto, tamque Chri-
ſtiano Principi, nullam laudem conuenire arbitror niſi verè
atque propriè Chriſtianam. Quid ſanctum Didacum a te
in ſanctorum numerum relatum oratione recenſebo? prop-
ter quod vniuerſa applaudit Hiſpania, qui, quæ hodie a
me in hoc gymnaſio dicuntur, vehementer approbans, au-
dit, & intuetur. Dies me deficiet, ſi omnes laudes tuas ora-
tione perſequi vellem. Proditum eſt literarum monumen-
tis imperante Conſtantino viſam eſſe in Cœlo Stellam ſu-
pra excelſum editumq. montem locatam Orientem verſus
radios emittentem. Declarandum eſt tibi Sixte quinte hoc
ad te inſigne prodigium pertinere, quod arbitror, Deo fa-
uente; te Pontifice Ieſu Chriſti D.N. atque Dei noſtri ſepul-
chrum monumentum ſalutis noſtræ pignus reſurrectionis
noſtræ ab immundis canibus tandiu obtentum, eiſq. ludi-
brio habitum, fore liberandum. Vbi melius ſanguis ſpargi
poteſt? vbi melius vita deponi? vbi verior atque ſolidior
gloria comparari? Tendit enim Iudæa tibi ſupplices manus,
obteſtaturq. te per eum, quē ex puriſsimæ matris vtero mi-
rabiliter exeuntem excepit, ne ſe diutius indigna hoſtium
ſeruitute oppreſſam teneri patiare. Duce olim Stellā Magi
ad adorandum Dominum maximis confectis itineribus ex
Oriente Bethlem vſque peruenerunt. Vtinam noſtris quoq.
tēporibus Iudæa ipſa, duce Stella, hoc eſt Sanctiſs. Sixto V.
qui Stellā pro inſigni habet ex diuturna ſeruitute extracta,
à nobis liberè inuiſi poſsit, & nos venerari Chriſti veſti-
gia poſſimus? O Chriſte te appello: In tua manu bellum, &
pax, in tua manu victoriæ, in tua manu Regum, & Popu-
lorum corda ſunt. Inſpira hoc Sixto Quinto; immitte hanc
mentem Principibus atque Populis Chriſtianis, non quod
tu, qui omnia potes, aut eorum opera aut noſtra ad hoſtes
tuos conterendos egeas, ſed vt omnes, qui tuo nomine glo-
riantur, in partem aliquam veniant eius gloriæ, quæ ex no-

 minis

animi atque cultus tui propagatione capietur, & quando vrbem Romam Imperij ſedem atque domicilium, & Eccleſiã Romanam Religionis firmamentum eſſe uoluiſti. Da Sixto Quinto Pontifici Maximo, Da Populo Romano hoc munus, vt in hanc potiſsimum vrbem, & ad hunc potiſſimum Pontificẽ partæ tam nobilis victoriæ aliquãdo nuntius afferatur.

F I N I S.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM MAR. quæ religioſiſsime colitur in Aede Lauretana.

Pro ſalute Illuſt.mi & Reuer.mi Principis
IVLII ANTONII SANCTORII
Card. S. Seuerinae cum de Anno. 1592.
grauiſsime laboraret.

REGINA omnipotens mirandi munere partus.
Quæ totum exhilaras cælum, quæ numine quamuis
(Quaquà diuerſis ambitur flexibus orbis)
Omnem imples omnem ingenti pietate reformas.
Heſperia antè alias Piceni ad littoris oram,
Pandis vbi terris vi te maiore vocata,
Currit, & afflictis præſentia numina rebus
Sentit adeſſe tua, & meritos imponit honores.
En ego virgo tuas lacrymis proſtratus ad aras
Te veneror, te imploro, tuus ſi ritè ſacerdos
Sacra fero, ingratis nec tango altaria donis;
Te precor, & pectus tundentem, atque ora cientem,
Aſpice me ſuperis è ſedibus, aſpice virgo.
Neu quanquam culpis adopertum me turpibus arce

Aſpectu

Aſpectu me virgo tuo: ſi pectore toto
Te veneror, ſi te dubijs in rebus ad vnam
Confugio, teque auxilium ſanctiſſima poſco.
Pœnitet ex animo vitæ me virgo prioris.
Pœnitet, & meritas horret mens conſcia pœnas.
Quod ſi iuſta mouent ſuperos orata benignos
Iuſta peto, miſeras audi ſanctiſsima virgo
Exorata preces, miſero quas pectore fundo.
Ille oculus Patriæ, Princeps leniſſimus ille,
Sacrorum Antiſtes, Romani magna Senatus
Pars iacet indigna corruptus pectora febri:
Et quanquam media iam morte tenetur, & vrget
Sæua lues miſerum, ſentitq. inſtare ſuprema;
Non queritur, non ille dolet, gemituve fatigat.
Ad ſtantes, ſolita ſed manſuetudine lapſis
Luminibus nunc hos, nunc illos reſpicit, ægrum
Adnitens vultum, ſed febre negante, parumper
Erigere exhauſtas ſimulans ſubſcribere vires.
Non illum medici, ſeruorumve anxia cura,
Nec quodcumque poteſt humanis artibus vſquam
Effici, agiue leuat; quod te per gaudia partus
Oro tui, illæſi per demiranda pudoris
Munera, per quæcumque tuo, vel acerba tuliſti
De nato vel læta, preces admitte tuorum:
Redde ò redde precor, qui ſpe prolapſus ab omni
Cogitur, in viridi lybithynam pone iuuenta.
Hei mihi præda ſequi melius tua præda futurus.
Id mea ſi ſcelera impediunt, ſi turpiter acta
(Quod fateor) mihi ſancta tuas occluſerit aures;
Aſpice tot populos mater beatiſſima mœſtos;
Aſpice Romuleam tot nunc lamenta per vrbem:
Aſpice quòd miſeris nil tale merentibus vnquam
Præſidium aufertur, quo cum moriente peribunt.
Certè equidem tota pendentes æde tabellas
Aſpicio, quæ te miſeris præſtò eſſe loquuntur:

Hic

Hic te animo ſpectans torrentem viſcera febri
Depulit, ille hiadas triſtes, hædumq. cadentem
Spectauit tutus: vertentibus æquora ventis.
Et Duce te Patrias enauit ſaluus ad oras.
Criminis ille Reus falſi ſub Iudice duro,
Dum mortem expectat tenebroſo carcere clauſus,
Munere ſancta tuo detecta fraude reuiſit
Vxorem & natos, exoptatumq. parentem.
Quæ nam igitur Regum, ſedes, quæ templa per orbem
Huic ſe auſint conferre loco, ter & amplius omnes
Ante alias felix Piceni littoris ora;
Cui Solymos ſpectare domi, cui munere ſancto
Fas calcare domi eſt pedibus veſtigia Chriſti.
Vos ne per æthereas Iudeæ a finibus oras
Aligerum, mandante Deo, vexere manipli?
Hic virgo genitura Deum genitricis ab aluo
Prodijt, & blandis mulſit vagitibus auras:
Hic quoque virginei ſeruata laude pudoris
Sancta ſalutifero tumuerunt viſcera fœtu?
Virgo audi, virgo exaudi, virgo inclyta, virgo
Vatibus à priſcis longè cantata, priuſquam
In tua cœleſtis ſoboles ſe viſcera lapſu
Funderet arcano, fœtuq. tumeſceret alueus,
Neſcia peccati, miſeros ſi reſpicis vllos,
Hæc tibi vota rata, & cordi mea carmina ſunto.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM.

Ad Ill.mū & Reu.mū Principem, & Dom. ālq. Dom. meum
HIERONIMVM CARDIN. RVSTICVCCIVM.

SAncta parens, & nata tui (res mira) parentis;
Quodq. magis mirum eſt, filia, ſponſa, parens:
Vt teneri pro matre gemunt in ouilibus agni,
Dum ſæuus caulas ſæuit odore lupus;

Sic tua ſupplicibus expandas brachia votis,
Optatamq. feras virgo rogamus opem.
Aſpice quam crebris nos ictibus impetit hoſtis;
Aſpice ſidereus quam procul orbis abeſt.
Ad te confugimus, veræq. ſalutis egeni;
Vitæ expectamus deficientis opem.
Dirige deuoti greſſus ad ſidera ſerui;
Es pia? vis igitur: mater es? ergo potes.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM

Ad Illuſtriſsimum Principem

PETRVM CARD. ALDOBRANDINVM

ME pudet ante tuæ formæ decus alma venire
Virgo, tibi quoniam cedere luna poteſt.
Labe cares omni, purgato mundior auro;
Igne poli; cedunt ſidera clara tibi;
Fac ſapiant ori cæleſtia pabula noſtro;
Noſtraq. diuinus pectora tangat amor.
Auxilioq. tuo poſsim tolerare labores,
Nam mihi præſidium tu ſola ferre potes.
Te duce ius nobis cæleſtia regna ſubire;
Pax vbi perpetuo non peritura viget.

AD DEVM.

Ad eumdem Illuſtriſsimum Principem.

QValis arundineo venas penetrante veneno
Saucius ad liquidas ceruus anhelat aquas.
Talis ad alta tui Pater optime flumina amoris,
Mens inhiat vitijs exagitata ſuis.
Te te mille Deus fons inconſumpte bonorum;
Mens ſitit innumeris arida facta malis.

Quando

Quando erit illa dies veræ mihi lucis origo;
Qua tua des oculis ora fruenda meis.
Ad ſacra namq. mei penetralia Principis ibo,
Miraq. cæleſtis regna videbo domus.
Tum lira Regificas intercinet aurea menſas,
Geſtiet ad patrios gens epulata modos.
Cur anima in tantis curarum Syrtibus hæres?
Cur mihi degeneris cauſa timoris ades?
Spes tibi non fragiles bonitas diuina miniſtrat;
Ille meo nunquam decidet ore deus.
Diſcite nam Reges rerum qui fræna tenetis;
Diſcite, qui terris Regia iura datis.
Voſquè Deo ſemper timidos præſtate miniſtros;
Gaudia ſollicito plena timore date.
Cœleſtes toto comprendite pectore leges,
Vlla nec à recta deuiet ira via.
Cum Deus inſtantes exarſerit vltor in iras;
Felix, qui Patrio ſpes in amore locet.

DE CRVCE DOMINI

Ad eumdem Illuſtriſsimum Principem.

CRVX Decus aſtriferi non enarrabile cœli,
Quo laudes dignas proſequar ore tuas.
Te Chorus aligerum citharis intentus eburneis;
Te ſonat auratis inclita turba liris.
En oculos in te quoties defigo morantes,
Me ferit aſpectus flamma coruſca tui.
Vndique Phæbeo ſuccincta videris amictu,
Vndiq. Crux rutilas euomis alta faces.
Te circum forma nitidas imitantia guttas;
Signa rubicundo ſanguine tincta micant.
Qualia ſopita radios in nocte coruſcos
Fundunt per vitreos aſtra ſerena polos.

Hoc

Hoc decus ex alto fluxit tibi pectore, quando
Candidus ille agnus morte redemit oues,
Non ſimiles rubro voluuntur in æquore gemmæ,
Non ſimiles Ganges voluit Eous aquas.
Te ſuper ille volans altas pelicanus in arces,
Effudit natis viſcera rupta ſuis.
O nimium felix, felix Crux alta dolores
Immites Regis quæ tetigere ſui.
Sola Dei gremio pallentia membra tuliſti,
Cui breuis in toto non erat Orbe locus.
Affigique ſimul voluiſti confita clauis,
Fixa quibus Domini membra fuere tui.
Te Pater idcirco ſuperas ſic extulit arces,
Cum petijt ſtygias victor ab arce domos.
Ipſa triumphantes inter nitidiſſima Currus
Ibas, aligeris conſpicienda choris.
Arbor aue, quæ ſola caput ſuper humida tollis
Nubila? ſtellantes exuperaſque polos.
O qui te ſacro genuerunt vertice montes,
O quæ te gremio vallis amæna tulit.
Non illac radijs Titan vibrantibus ignem
Voluitur, aut nimbis aſpera tranſit hiens.
Non notus armatis glacie ſuper intonat alis,
Africus haud mixtas grandine voluit aquas.
Quomodo quæ fueras in fauſtum gentibus omen
Crux bona? nunc fidei numina magna tenes.
Quomodo quæ quondam latronum terga Premebas
Sontia? Nunc Regum pectora, & ora colis.
Per te cum facili nitido via tramite cœlo
Sternitur; & miſeris Ianua celſa patet.
Per te Rex Erebi cæco non imperat Orbi,
Tartareæque iacent Regna ſepulta domus.
Tu lignum illud eras in quo genus omne futuræ
Stirpis; inundantes exuperauit aquas.
Illud eras eadem magni quo dextera Moſis.

In vada concretas ima reſoluit aquas.
Nec mirum tua iam virtus in montibus olim,
Qua pia tranſibant agmina, nota fuit.
Cum tot Serpentum miſeri cruciatibus acti,
Oris ad aſpectum conualuere tui.
Te duce quas acies, quos non ſuperabimus hoſtes,
Quæ nos ferre diu Regna vel arma queant.
Cum Leo te ſubita aſpergentem luce cauernas
Fugit, & inferni contremuere lacus.
Salue Crux ingens Erebi formido profundi,
Edita ſpes noſtræ magna ſalutis aue.
O qui te caſus patiens comitetur in omnes,
Et cupiat ligni pondera ferre tui.
Hic erit, hic vaſti, qui mænia celſus olimpi
Intret, & ex hauſto digna labore ferat.
Ergo quis omiſeri veſtros pauor occupat artus,
Sarcina lætitiam non onus iſta gerit.
Te precor o arbos humeros ne deſere noſtros,
Hos mihi vitales dum reget alta pedes.
In te ego defixus Summi veſtigia Regni
Subſequar, hic vitæ meta ſit iſta meæ.

FERVENS AMOR IN DEVM.

Ad Illuſtriſsimum Principem Octauium Cardin, Aquauiuam,

MEne ſaluti fera vnquam contingat in ora,
Os Domini lætum poſſe videre mei.
Colligit vt ſolers tentoria fixa magiſter,
Cum noua paſcendum ducit in arua gregem.
Sic mea vita mihi giro collecta citato,
Incautas fugit non reditura manus.
Ac veluti textrix ceptos exoſa iugales,
Abſcindit telę ſtamina prima rudis.
Sic uiridis ſubito primordia grata Iuuentæ,

Mors

Mors mihi præpora rupit acerba manu.
Auroræ a radijs ad ſera crepuſcula noctis,
Ponetur curſus vltima meta mei.
Qualis Ouis fætum ſicco leo gutture nactus,
Algida prçcurda conterit oſſa fame.
Talis in exhauſtus valido mihi corpore vires,
Comminuit rapidis mors inopina rotis.
Lucifer vnus iter vitæ mihi claudet apertum,
In primo extinctum lumine lumen erit.
Vim pater alme datis maiorem viribus affers,
Tu facilem preſſo, qui premis, affer opem.
Quid loquor? aut quis nam rerum mihi Prouidus auctor
Conſilij cauſas afferat ipſe ſui.
Anxiferos inter iactabitur ægra dolores
Mens mihi, dum recolet tempore lapſa Deus.
Talibus in curis volucris ſic degitur ætas,
Sic breuis in tantis ſpiritus hæret aquis.
Corripe Summe Pater Sanctæ me legis habena,
Vita recens animæ lex erit illa meæ.
Ecce vbi perpetuam mihi ſpondent omnia pacem,
Arma tenent geminas horridiora fores.
Iuſtitiamque tuam natis pater optimus edet,
Nota erit a Sera poſteritate fides.

AD ROMAM SVB CLEMENTE OCTAVO.
Pont. Opt. Max.

CVm premeret totum bellis flagrantibus Orbem,
Æquoraque, & vaſtas miſceret murmure terras
Felix Roma fuit, famaque impleuit Olimpum.
Non contenta ſolo viditque haud inuida mundo
Aurea ſæcla nouo, nam quod Saturnia terris
Pax dabat, hoc peperit ſibi Martia Roma triumphis.
Scilicet immenſo quaſcunque ſub æthere gentes
Terra creat, quę cincta mari pandique premique

Aſpicit,& phæbum medio decurrere cælo
Sub ſua ſceptra dedit,forti Nabathæa ſubegit
Regna manu,& lybiam ſub caneri ardore iacentem.
Quæque rigent duro ſpatioſa Erymanthidos vrſæ
Arua gelu,rigidæ quæ ſemper inertia brumę.
Gloria Romanis hæc partha laboribus ingens
Sed peritura fuit,nunc eſt tua gloria maior
Roma potens,nunc æternum manſura per æuum.
Poſtquam Tartareas migrauit pulſa ſub oras
Vana ſuperſtitio, Veterumque inſana deorum
Impietas,multos late dominata per annos
Exulat,inſanos non inficit aera falſos
Ante Deos Panchæus odor,nec victima monſtris
Cæſa iacet,regnat pietas,micat aurea Chriſti
Victo errore fides,veluti æthere phæbus in alto
Cum fugat obſcuras noctis nitidiſſimus vmbras.
Roma etiam terras mittis ſacra iura per omnes
Quos olim Imperij populos ditione premebas
Nunc regis, & Sancta ſub Religione tueris,
Salue Vrbs chara Deo quondam caput orbis,& almæ,
Nunc fidei,tu Marte viros genuiſſe feroces
Docta,Solo gentes potuiſti æquare ſuperbas.
Nunc claros virtute viros genuiſſe,fideque
Doctior,ætherei rutilantia lumina mundi
Multo ciue reples,tunc poſt fera prælia victo
Orbe triumphabas,nunc victo Acheronte triumphas.
Heu heu nunc quantis iactatur Sancta procellis
Cimba Petri,quam Sæua pijs molitur Erhymnis
Excidium,clauſtriſque erebi graſſatur apertis.
Quam multæ ſcelerum facies gens impia Chriſti
Diſcuſſit Ceruice Iugum,ſequiturque nefandæ
Caſtra voluptatis,bellumque fidelibus infert
Innumera crudele manu,ſpumantia late
Æquora conſpicies,pingueſque rubeſcere campos
Sanguine Chriſticolùm,& ſæuis ruere omnia monſtris
In pelus

In Pelus retroque trahi ſublapſa putabis.
Sed Deus ex alto qui nos defendit olimpo
Nunquam aberit; populumque ſuum prohibebit acerbis
Caſibus oppreſſum, duro ſuccumbere bello.
Et quamquam oppugnans ſæuis exercitus armis
Hinc ruat atque illinc, totoque Acheronte malorum
Sæuiat ira virùm, nunquam expugnabit, & alta
Trudet Sede fidem, manet indelebilis illa.
Dum ſteterit rapidi ſublimis machina mundi.
Contemnetque minas veluti alto in gurgite rupes.
Quæ Pontum & flantes immobilis aſpicit Euros.

AD DEVM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Octauium Card. Bandinum.

QVale breues clamant tecti de culmine Pulli,
Vt vaga det ſolitos mater hirundo cibos.
Talis ego de fragili clamabo cacumine mundi
Vt diuina mei viſcera tangat amor.
Seu gemitus alta meditatur ab arbore mæſtos,
Voce vocans comitem blanda columba thori.
Non ſecus ex imo deductos pectore queſtus,
Ad patrios mittam nuntia fida ſinus.
Spectando vigiles tenuarunt æthera viſus,
Lumina ſuſpectu ſunt mihi feſſa ſuo.
Tu tamen hanc animam miſera ne morte fatiſcat,
Eripis e ſummis o Pater alme malis.
Parcior es pœnæ, veniæ largiſſimus idem,
Poſt tua terga ſcelus reijcis omne meum.
Quippe tibi nullos ater canet orcus honores,
Nec laudes vnquam mors canet atra tuas.
Nec fidei promiſſa tuæ, felicia Regna,
Expectat ſtygijs obruta turba vadis.
Mira tibi ſemper fundant præconia viui,

Qualia nos totum fundimus ore diem.
Me Deus incolumen læthalibus exime morbis,
Fac teneam ſtabilis dulce ſalutis iter.
Sic tua magnificis reſonabit gloria templis,
Sic dabimus cunctos carmina feſta dies.

AD SANCTAM BARBARAM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Octauium Card. Bandinum.

BArbara Virgineos inter Pulcherrima cætus,
Cui decorat ſacras ardua palma manus.
Cum fuerit tibi virgo animi Sapientia mira,
Quæ docuit falſas ſpernere diuitias.
Et docuit duri contemnere tela Tyranni,
Dum te cæleſtis robore firmat amor.
Diuino quando perculſa Tonantis amore;
Impia crudelis non patris arma times.
Barbara cur nomen? ſcis quod non Barbara dicam;
Sed quia Barbaries te duce victa fuit.

AD SANCTAM CATHARINAM.

Ad Illuſtrißimum Principem Card. Iuſtinianum,

LAc pro puniceo fundis Catherina Cruore,
Mons in quo eſt Moiſi lex data, corpus habet.
Sed cur Angelicis deferris virgo quadrigis,
Angelicæ ſtatuunt cur tua buſta manus?
Scilicet hæc niuei tot præmia virgo pudoris,
Angelicæque nitor Virginitatis habet.

AD

AD SANCTAM APOLLONIAM.

Ad Illuſtrißimum Principem Card. Pinellum.

VIrgo decus Nili veterum quam turba deorum
  Victa timet, totus quam polus altus habet,
Cuius & occultum venus inſidioſa cubile
  Non potuit crebris cernere virgo dolis.
Dentibus a noſtris ſæuum depelle dolorem,
  Magna mihi fateor ſed tibi parua peto.

DE ADVENTV DOMINI.

Ad Illuſtrißimum Principem Cardin. Cuſentinum.

SPargite iam tandem radiantia deſuper aſtra,
  Optati largas ſpargite roris opes.
Iuſtitiæ detur ille nouæ de ſedibus altis,
  In terras pluuiæ decidat inſtar aquæ.
Germine cæleſti pandat grauis addita tellus,
  Dona ſalutiferi monſtret & ora ducis.
Aſpice quam facili labantur cuncta ruina,
  Quam breuiter magno parta labore cadant.

AD SANCTVM SEBASTIANVM.

Ad Illuſtrißimum Principem Cardin. Madrutium.

SAncte tot hamatæ quem non potuere ſagittæ
  Cogere naſcentem deſeruiſſe fidem.
Quis laudes canet ore tuas? o ſæua potentum,
  Funera pro Chriſto dux animoſe virùm.
Per te dira lues noſtro procul orbe receſſit,
  Aſſiduis quondam non remouenda malis.

Ad eundem Illuſtriſsimum Principem,

O Fortunatæ bis terque quaterque ſagittæ,
Tangere queis licuit talia membra ſuis.
Vos ego cum video manans rigat ore videntes,
Perque genas lachrimans feruida gutta fluit.
Atque immenſus amor mea tunc præcordia pungit,
Et cupiò vobis oſcula grata dare.

AD ROMAM.

Ad Illuſtriſsimum Principem Cardin. Burgheſium.

ROma triumphato quondam fuit inclita mundo,
Militibus terras claſſe repleuit aquas.
Roma triumphato nunc eſt magis milita Auerno,
Quæ radioſa pijs mentibus aſtra replet
Ix nunc hoſtiles agita ſtyx impia dextras.
Ex alta nunquam corruet arce fides.

AD SANCTAM MARIAM MAGDALENAM de vtroque amore diuino & humano.

Ad Illuſtriſsimum Principem Cardinal. Comenſem.

QVis modo compoſuit mira tibi lege capillos?
Quis bene compoſitos tam male ſoluit?amor
Quis tibi diuitibus profundit odoribus artus?
Quis Dominum fuſa pixide ſparſit? amor.
Quis riſu lachrymiſque rudes illuſit amantes,
Quis lachrimas pedibus præbet amautis? amor.
Quis pia tam duris ornauit pectora vinclis,
Quis fera tot ſcelerum vincula rũpit? amor.

Quis

Quis tibi Sancta fuit tam cæci cauſa furoris,
Quæ fuit optatæ cauſa ſalutis? amor.
Grande mihi narras violenti robur amoris,
Magdalis agnoſco quid facit vnus amor.
Quis tibi tam varios ſuadebat ſumere vultus,
Non erat o mulier non erat vnus amor?

AD BEATISSIMAM VIRGINEM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Cardinal. de Aragona.

ECce autem donis genti teſtanda ſabeis
Lux aderat, qua te natus ſuper alta vocabat
Ateia, præteritæ ſumpturam præmia vitæ.
Aetherei exultant proceres volucreſque miniſtri
Dulci ſonas pulſant Citharas, & carmina dicunt,
Cum tu ſicut eras terris ſublata ſecabas
Aera, & albenti ſignabas tramite nubes.
Prima tibi niueos flexit lathonia currus
Aſcenſu lætata tuo, dehinc cuncta viciſſim,
Qua ſublimis iter carpis vagaſidera rident.
Te cupidi excipiunt cœli, rutilæque pateſcunt
Sponte fores, liquidos pandit via lactea tractus.
Donec ad extremam Zephiro velocior arcem
Euecta æterni ſumpſiſti dulcia nati
Oſcula, ſidereis crines redimita Coronis.
O aſſueta malis hominumque experta labores.
Vna ſalus miſeris, noſtra tutella ſalutis
Præſidiumque venis, timidis agitatus in undis
Nauita, te denſo miles circundatus hoſte
Euocat, ignotis errans vagus hoſpes in oris,
Et tibi ſollicitus ſuprema voce colonus
Anxia vota facit, multa cum grandine meſſis
Sternitur, & rutilos contorquet Iupiter ignes.
Nec quiſquam incaſſum fatis vexatus iniquis,

Sancta tuam ſuſpirat opem, quæ corda precantum
Aſpicis, humanaſque audis mitiſſima voces.
Virgo parens ſalue, mundi nitidiſſima lampas.
Stella maris radians o clauſi Ianua cœli,
Salue iterum & grato ſi thure altaria fumant
Rite tua, & ſi te matrem dominamque fatemur,
Huc ades, & populis hoſtes morboſque famemquè
Pelle tuis, ſcelerumque notas & crimina tolle.
Da precor, & mundi illecebras & vincere fraudes
Ditis; & optato tandem requieſcere portu.

AD SANCTVM FRANCISCVM.

Ad Illuſtriſsimum Principem Card. Aſculanum.

MOns erat vt perhibent latia ſublimis in ora,
Non procul Aſſiſij diſtat ab Vrbe locus.
Hic ſibi magnanimus fidei tentoria ductor
Fixerat, auctoris captus amore ſui.
Aurea non illum tenuere Palatia Regum,
Non illum fluxæ detinuiſtis opes.
Vilis amictus erat, nulloque labore paratum
Limpha dabat potum quælibet herba cibum.
Quas pater hic animas ſtygij Plutonis ab orco,
Quas auido eripuit triſtis ab ore canis.
Quas tibi reſtituit cœli qui lampada quaſſas,
Sedibus æthereis quas manus illa dedit.
Hoſtilem quoties hoſtili marte cohortem
Vicit, humi fuſus gramineoque thoro.
Quæ tibi pro meritis referetur gratia tantis,
Quod tibi pro tanto munere munus erit.
Ipſa mihi tellus venerandas erigit aras,
Ipſe mihi donat regna beata Polus.
Congere diuitias quas nec tibi demere fures,
Nec mala ſuada fames nec fera bella valent.

AD

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. Parauicinum.

TRinacriæ Virgo ſplendor, quam turba deorum
Victa timet, nitidus quam polus altus habet.
Te nunquam potuere minæ deuincere Quintij,
Vt coleres vana Religione deos.
Cuius & occultum venus inſidioſa cribile,
Non potuit crebris cernere virgo dolis.
Nec te fæda venus potuit Regina malorum
Tangere, ſed tetigit dignus amore Deus.
Diuitias ſpernis perituraque gaudia vitæ,
Ac nitidi quæris gaudia vera poli.
Non tibi ſancta placent aurata Palatia Regum,
Atria nec geſtis celſa ſubire domus.
Dum tua mens ruptis vinclis & carcere cœli,
Lucida flammiferi tecta ſubiuit ouans.
Cernis vbi domini flamantia lumina Chriſti,
Qui reddit meritis præmia magna tuis.
Nunc tua magnificis reſonabit gloria templis,
Nunc tua lætantes carmina feſta damus.

DE DECOLLATIONE SANCTI Ioannis Baptiſtæ.

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. Sfrondatum.

HErodes rapido non conceſſurę Leoni,
Et minus incęſtu quam feritate nocens.
Quid miſer inſontis auido bibis ore Cruorem,
Prætexens falſa crimina vera fide.
Tu ne rebellantes mittes tua ſub iuga gentes,
Qui das fœmineo Regia Colla Iugo.
Fræna cupidineas tibi pone morantia flammas,

Vt placida frænes Regna ſuperba manu.
Neſcit adulari vitijs Regalibus ille,
Quem malus in tetro carcere claudit amor.
Illa foret duris oneranda libido cathenis,
Libera quæ veri non tulit ora viri.
Quid iuuat in patina moriens caput hoſtis habere,
Si furit in tacito fax tibi vera ſinu.
Eripiens vitam donas, prodeſque nocendo,
Non odium cædes ſed fauor ille fuit.

DE EADEM DECOLLATIONE.

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. de Montalto.

POſt inconceſſas epulas largumque liæum,
Poſtque puelaris gaudia vana Chori.
Matris ad iratæ male ſuadaque vota puellæ,
Truncauere pium ſpicula ſæua caput.
Proh dolor heu ſtygijs abolenda piacula flammis,
Sæuior o rabie fide Tyranne tua.
Non iurata fides non te reſpectus honeſti,
Non grauis aſtatum te mouet ordo virùm.
Interdicta mouent fraterni iura cubilis,
Et memor ardentes ſuggerit ira faces.
Illud Ioannis Sanctum, & memorabile verbum,
Non licet vxorem fratris habere tui.
Illud iuſta truces diſtringit in ora ſecures,
Diraque Regales tradit ad arma manus.
Parce pio capiti thalamos vetat vna nefandos,
Diſſimulare tuum neſcia lingua nefas.
Ipſa licet taceat tua non indicta manebunt
Crimina, vox furias non canet illa tuas.

Ad Illuſtriſſimum Principem Cardin. de Gueuara.

QVem manibus geſtas Pulcherrima virgo? Tonantem,
Cur venit in terris nudus inermis? amat.
Cur calet igne puer, generis ſuccenſus amore
Humani, æthereus dicitur eſſe Deus.

AD VIRGINEM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. Deſa.

TV genitrix, tu virgo, parens, tu blanda fuiſti,
Quæ legit pomum dura nouerca fuit.

DE VIRGINE ET IESV.

HIc pater & natus, virgo fuit illa, parenſque,
Naturæ leges hic nouat, illa nouat.

DE RESVRRECTIONE DOMINI.

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. de Auila.

NOx abit & tenebræ, rutilans aurora coruſcat,
Fulgida mirificis laudibus aſtra ſonant.
Nam ſubit exultans lætus latiſſimus Orbis,
Atque ſono rabido Regia tetra fremit.
En pedibus victor Chriſtus nigra tartara calcans,
Lætantes veteres ſuſtulit inde patres.
Qui gelido triduo laceris ſub marmore membris
Seruatus, multo milite clauſus erat.
Splendidus, & clara pompa comitante triumphat,
Amplaque deuictæ ſpolia mortis habet.

Gloria ſurgenti nato quoque gloria patri,
Et procedenti gloria ab vtroque ſonet.

AD SANCTVM DIDACVM Complutenſem.

Ad Illuſtriſsimum Principem Card. Hiſpalenſem.

INter ſplendentem cœli venerande Senatum,
O Didace inſigni nomine clare nites.
Viciſti mundum, tua neſcit gloria vinci,
Nunc tibi dant victas tartara nigra manus.
Vicit amor Chriſti victori cedite victæ
Diuitiæ, ſolium, purpura; nomen, honos:
Hic Sancti clarum Didaci conſcenderat ignis
Pectus, in æthereas extuleratque plagas.
Hoc potuit mundi tenebroſa per equora vectus,
Littoribus ſuperis applicuiſſe ratem.

DE INTERNO EXAMINE AD SANCTISſimam Euchariſtiam ſuſcipiendam.

Ad Illuſtriſsimum Principem Cardinal. Pereti.

QVi ſquis ad hæc dignus conuiuia ſancta venire,
Et chriſti corpus ſumere quiſquis auet.
Ima prius luſtret tecti penetralia cordis,
Hæreat ad tacitos vlla ne culpa ſinus.
Tanta quis in terris miracula vidit, vt eſſet,
Paſcens, & paſtus, pabula Paſtor idem.

DE

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. Farneſium.

MOrte relicturus dilectum Chriſtus ouile,
Apponit charo Fercula mira gregi.
Omnibus ipſe ſuum proprium dat corpus edendum,
Ipſe ſuo clauſus corpore corpus edit.

AD SANCTVM IGNATIVM.

Ad Illuſtriſſimum principem Card. Benarminum.

IGnati S lue cœli venerabile numen,
Salue ſtelli feri, gloria magna Poli.
Sis ſaluus, qui corde geris venerabile nomen
Chriſti, quod quæſo fac mea corda gerant.
Aureus es totus, mens aurea, vita pudica,
Aurea qui Chriſti nomina corde geris.

AD SANCTVM HIERONIMVM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. de Terranoua.

QValis ab igni vomis radios emittit in æthera
Phæbus equis, cœlo ſidera clara fugans.
Vaneſcit phæbe nullos habet Heſperus ignes,
Et Maiæ proles aſtra ſerena latent.
Talis ab aſtriferis fulges Hieronime tectis,
Et reliquos ſuperas candidiore nota.
Per te altæ fidei pateſiunt dogmata nobis,
Per te Religio tollit ad aſtra caput.

Ad Illuſtriſsimum Principem Cardin. S. Ieorgij.

HEu celeris fugiunt ſubitò ſpectacula vitæ,
Et volucrem capiunt gaudia mæſta fugam.
Gloria, nomen, honos, tituli mox purpura fallax,
Deſtituunt Dominos perfida turba ſuos.
Diuitię, ſceptrum, laudes, ſoliumque ſuperbum,
Magnanimos Reges deſeruere breui.
Ah quoties natus chari ſpes vnica patris,
Sollicitas rapida morte reliquit opes.
Vidi ego met Iuuenem quem Regia ſceptra manebant,
Non expectatum mox obijſſe diem.
Blandis cuncta rapis precibus mors neſcia flecti,
Regibus heu religas Principibuſque manus.
Non te Blanditiæ capiunt, non vinceris armis,
Fumoſis neſcis parcere Imaginibus.

PECCATOR AD CHRISTVM.

Ad Illuſtriſsimum Principem Card. Eſtenſem.

QValis in ingenti depreſſus pondere vultur,
Credere ſe ventis mole vetante cupit.
Qualis in vndarum nauis demerſa profundo,
Dentibus ad ventos pandere vela nequit.
Vtque equus ingenuus deuictus compede geſtit
Currere carceribus ni prohiberet onus.
Non aliter niſi humus conantem mole retardet,
Spiritus ad te optat Chriſte volare meus.
Si cœlum intueor nouit mea crimina cœlum,
Si in terram verto lumina teſtis adeſt.
Sol grauis eſt, lunæ radij videre nocentem,
Cur non flagitijs ima dehiſcit humus?

Ad Illuſtriſsimum Principem Card. Camerinum.

O Clemens ſuperum pater,
Qui cœli reſides culmine fulgidi.
A quo ſquamigerum genus,
Vitam ſub pelagi fluctibus accipit,
Qui plumis volucres tegis,
Et veſtis patulis frondibus arbores.
Per quem ſol radijs nitet,
Et noctis tenebras diſſipat humidæ.
Cui tandem ſuperum chorus,
Tellus & pelagus militat horridum.
Tu Rex æthereæ domus,
Tu nos ex humili ceſpite feceras;
Tu lucis pater, omnibus
Vitalis dederas muneribus frui.
Vt poſt mortem animus Poli
Sedes & ſolium ſcanderet aureum.
Ac cœlo frueretur, &
Aeuum mellifluo nectare duceret.
At nos immemores tui,
Fructus ex vetita carpſimus arbore.
Non hoc (me miſerum) ſatis,
Sed te te aſſiduo crimine lædimus;
Fædantes animos lato
Antri Sulphure Tartarei; atque.
Hinc mundi laqueos honore,
Hinc fraude mala delitiæ plagas
Tendunt, noſque Erebi in nigras
Conantur tenebras pellere pallidi.
Hinc tortor ſtygij lacus,
Nos omnes inſidijs ad ſcelus incitat.
Inuaditque animum dolis,

His ni ſubuenias auxilio malis.
Nos Pluto ſua ſub iuga
Mittet, ſupplicijſque opprimet horrendis.
Non ergo pater optime,
Noſtrorum aſpiciens agmina ſcelerum.
Sed te; quem pietas iuuat,
Tantis ſubuenias auxilio malis.

AD DEVM FILIVM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Cardinal. Galbum.

AEterni Salue proles æterna parentis,
Imperium cuius Regnaque fine carent.
Qui de fulgenti procedis lumine fulgens,
Lumine deque Deo cuncti potente Deus.
Aethereas quondam commotus talibus arces
Liquiſti, & ſuperi Regna beata Poli.
Talibus indueras mortalem chriſte figuram,
Commotus mundi dira pericla ferens.
Affer opem vlterius noſtræ ſpes vna ſalutis;
Pergere tam dirum ne patiare malum.
Poſtque huius vitę curſum radiantis olimpi
Clementi nobis ſidera pande via.

AD DEVM SPIRITVM SANCTVM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. Sforziam.

HVc, huc, Sancte tuo numine ſpiritus,
Te noſtris veniens mentibus inſere.
Nam ſemper tenebris (hi ſubito tuis
Luſtrentur radijs, igneque fulgido
Inflammentur) erunt implicitæ nigris.
Huc ergo ex ſuperi ſedibus ætheris

Flammas mitte tuas, mitte nefaria
Quæ noſtro penitus pectore gaudia
Pellant; vt nitidi diuitiæ poli,
Neglectis miſeræ delitijs humi,
Nos ad ſe rapiant; veraque gloria,
Qua cœlo fruitur cœlicolum chorus.
Hæ ſi Sanctæ meis ſe oſſibus implicent
Flammæ, non timeam poſcere in horrida
Poſt hac Tartareos prælia milites.
Non Pluto tendere inſidias calliduus
Audebit, nec atrox turba, ſed horridis
Se condet latebris Tartarei lacus.
Orci terribilis te duce pallidi
Turmas atque Erebi Caſtra fugabimus,
Cæca incende tuo lumine pectora.

IN FESTVM RESVRRECTIONIS Domini.

Ad Illuſtriſſimum Principem Cardin. de Rochas Archiepiſcopum Toletanum.

OMnibus illa fuit totum celebrata per Orbem,
Chriſtiadis populiſque manet celebranda futuris;
Dum radijs immenſum phæbe retexeris orbem
Sacra dies, qua Regna trucis ſpoliata Tyranni
Sunt animis patrum, tenebris qui victor ab imis,
Venit in æthereas Chriſtus Rex maximus auras.
Sit fas ſidereos virgo memorare triumphos;
Inuiſaſque acies, ſtygiaſque referre ruinas;
Quidque tuum natum (quorum pars magna fuiſti)
Impulerit genitrix quondam tot adire labores.
Hactenus infelix ſteterant tua ſceptra Tyranne
Imperium ſine fine tenens, ſine fine cruentis
Faucibus inſultans, animas populoſque iacentes

Per mare,per terras,vaſtum furibundus in orcum
Noctes atque dies trudens (miſerabile uiſu)
Pignora cum charis plerumque parentibus vna
Luce dabas letho, pariter cum milite Reges,
Magnanimos claroſque duces genteſque ſuperbas.
Non aliter quam cum furit auxiliaribus vndis,
Cerea Caſtra trahens,teneris cum matribus agnos,
Et lentas ſalices fulua conuoluit arena
Romuleus Tyberis,ſuperans altiſſimus arcus.
Funera tanta dabat nigri Regnator Auerni,
Donec chara Dei ſoboles,miſerata labores
Humani generis,proprius reſpexit ab alto
Mortales ægros,ſtygiaſque coercuit vndas.
Frigoribus corpus duris penetrabile geſtans,
Virginis intactæ diuino ſanguine cretus.
Ni faciat cunctum terrarum protinus orbem
Funditus euertant,liquidas verrantque per auras,
Non tulit inuidiæ veteris ſcelerumque repertor,
Ocius id metuens furijs comitatus iniquis.
Limina Pontificum pulſat,legumque peritos
Concitat,& titulis velatus tempora vulpes
Inſtruit ille dolis flammantia lumina torquens.
Nunc hos nunc illos agitat,nil linquit inauſum,
Omnia pertentat cunctas ſe vertit in artes
Perfidus,vt læto tradat tenebriſque parentem
Lucis & auctorem vitæ,tamen artibus hoſtis
Sternitur ipſe ſuis,& præmia digna reportat.
Acris ac veluti ſiluis cum nautica pinus,
Sternitur incaute,& ferro temerarius vrgens
Roboris ima faber,premitur ſub pondere vaſto.
Talis Tartareo cecidit victoria monſtro.
Nam pater Omnipotens natum demiſit ab arce
Siderea,ſtygias olim qui verteret arces;
Et genus antiquum clarum pietate tenebris
Duceret in lucem, patria cœloque locaret.

Quo miſer, heu, nimium magna comitante caterua
Lucifer expulſus, meritas in carcere Cæco
Dat pœnas, merito iacet æternumque iacebit.
Scilicet ætherei nun i populator honoris.
Setigeros compone polos, rege mænia mundi,
Cedite mortales diuino ſemper honori.
Filius æquipotens patris mox iuſſa capeſſit.
Tempus vbi venit, tempus poſtrema ſerendi.
Sponte ſua victus (quis enim deuincere poſſet)
Qui mare, qui terras torquet, cœlumque profundum.
Pertulit, inuiſæ quondam ſublatus in alta
Probra crucis, ſparſi rorabant ſanguine vepres
Et teneras plantas ferrum crudele premebat,
Vndique largi flui torrentes ſanguinis ibant.
Pallidus heu moritur, moritur comitatus vtrimque
Furibus, vt ſceleri ne poſſet abeſſe nefando,
Quidquid inauditos poſſit ſatiare furores.
Heu genus inuiſum, genus heu crudele ferarum.
Equa ſuis retulit quamuis crudelibus vnquam
Talia? nùm ſæuis retulit genitoribus vnquam
Talia ſæua Tygris? ſuperas gens impia Tygres
Hyrcanas, pœnos ſuperas feritate Leones.
Spiritum vbi natus deuicta morte parenti
Tradidit, ingenito mæſtiſſima verba locutus.
In loca cunctipotens deſcendit neſcia lucis.
Aurea non illic remorantur lumina ſolis,
Illic cæruleas pinus non verberat vndas.
Ardea non ſcindit trepidantibus aera pennis.
Gramina nulla virent, riuis nec prata vireſcunt.
Horrida perpetuis tenebris nox incubat atris.
Tunc nigras ſubito tenebras (mirabile dictu)
Effugat Omnipotens, tunc primum territa lucem
Tartara ſenſerunt, vlularunt agmina dira
Sulphureis religata rotis, fremuere reuulſos
Lucifer in primis vectes portaſque Barathri.

Felices animæ Regem dominumque ſalutant;
Et ſubito noctem mirantur cedere luci.
Vertitur in cytharas ſqualor, ſordeſque repente
Carceris, innumeris ſonuerunt atria feſtis,
Omnia collucent radians fit carcer Olympus.
Regius hic vates longo ſuccenſus amore,
Talia flagranti promit de pectore dicta,
Nate Dei miſeris cœlo expectatus ab alto
Veniſti tandem, ſolymas occiſus ad arces.
Verbera perpeſſus toties poſt mille labores.
Lux mea veniſti tenebroſi lumen Auerni.
Hæc repetens memini ſupera dum veſcerer aura
Sæpe graues largo lachrimarum flumine lectos
Permaduiſſe, epulas memini ſoliumque rigaſſe.
Nunc equidem fateor vincunt ſolatia mentem.
Sic ait, & patrum ſequitur veneranda Corona.
Salue noſtra ſalus, quis te pater optime flexit,
Tantus amor noſtri, triſtes vt victor ad oras
Morte triumphata per tanta pericla venires.
Nos tua lux recreat, tecum viuemus in illa
Sede Beatorum laudes ſine fine canentes.
Filius Omnipotens contra ſic orſus Auerno,
Nox abijt, longos quæ nox obſederat annos.
Nulla dehinc mentes poterit turbare beatas.
Tempeſtas vlulat, fundo religatus imo
Lucifer infelix fremit, mors horrida propter
Incaſſum non illa mihi dominabitur vltra.
Aduenio victor crudelia funera paſſus.
Vos ego ſeruaui quondam dum vita manebat,
Hic ego defendi, cœli nunc vertice ponam.
Dixit & æthereis animas complectitur vlnis.
Illi pſalentes laudes & carmina dicunt,
Luminibus fixis placido paſcuntur amore.
Tertia nox tenebras rutilans aurora fugabat.
Ordine cum longo victricia ſigna ſequentes

Illuſtres

Illuſtres acies, mediumque per aera nocte.
Decus, i noſtrum clamant, i gloria noſtra.
Ibat ouans chriſtus cunctis fulgentior aſtris.
Intonuere poli numeris fidibuſque canoris,
Carmina fundebant iuuenes cœleſtia circum.
Torpida nos nunquam preſſerunt corpora terris.
Tartara vicit amor; portas effregit Auerni.
Talia dicentes Regem dominumque ſalutant
Dentibus infredens nequidquam ſuſpicit orcus.

AD MORTALEM.

Ad Illuſtriſsimum Principem Card. S. Marcelli.

QVid ſequeris miſeræ fallacia gaudia vitæ?
Quid tumidis animis corda ſuperba geris?
Quid petis alta eita tecum caſura ruina?
Et quid delitias mens tua ſemper amat?
Quid quæris faſtus Epulaſque, & ſplendida Regna?
Non ne miſer quod ſis paluis & vmbra vides?

DE PASSIONE DOMINI.

Ad Illuſtriſsimum Principem Cardin. Baronium.

NVnc, nunc Vnammes redimit quos ſanguine chriſtus,
Conduplicate manus triſteſque ad ſidera voces.
Mittite, cœlicolis date lamentabile carmen.
Conditor auroræ ſæuis data præda Tyrannis
Ibat, & ingentis depreſſus pondere ligni.
Et volucres mœſto complebant ſidera planctu.
Heu crudele nefas terris iacet altus olympi
Rector, & ad mortem properat circundatus armis.
Quem ſequitur lachrimans populorum turba, nec vnquam
Tantum audiſſe nefas ſimileſque tuliſſe dolores

Mortalem

Mortalem clamat,procul,& mæſtiſſima Virgo
Ibat, & in cœlum gemitus fundebat amaros.
O Iudæa nocens nullis ſatiata periclis.
Iam fere ſupremas phæbus ſuperauerat axes,
Atque dies medius longas reuocauerat vmbras,
Cum loca Caluarij pedibus compreſſit Ieſus.
Ergo vbi venerunt ſæui celereſque miniſtri
Arripiunt manibus ſacram de corpore veſtem.
Et capite euulſum ſudibus diademma reponunt
Vulnificum,& geminas tollunt ad ſidera palmas.
In cruce membra iacent nimio defeſſa labore.
Mortua quin etiam Dominus ſua brachia pandit
Atque manus ſacras transfixit cuſpide vaſto
Tortor inhumanus,pedibus dant vulnera claui.
Clauus vtrumque tenet,patitur Conuitia corpus,
Cui non veſtis erat,cui duro verbere in altum
Tollitur accinctus nudus,qui floribus arua
Veſtit,& illuſtrat poſitus Fixuſque manebat
Et capiti quoniam minime diademma pepercit.
Vincula nec manibus, pedibus nec cuſpidis ictus,
Verbera nec membris, humeris nec pondus acerbum
Non linnguæ dolor ignoſcit,generator aquarum
Nunc ſitit,atque ori linguæque offertur acetum.
Vulneribus tandem grauibuſque doloribus actus
Ingemuit ponenſque caput aſpirauit Ieſus.
Heu crudele nefas tantum meruere nocentum
Flagitia, heu dolor,heu pietas, quis talia cernens,
Non fleat, ac magnos triſteſque ſubire dolores
Appetat,ob cuius cauſam venerabile corpus
Pendet,& admiſſas ad ſe vocat vndique gentes
Ante omnes ſtabat plorans Santiſſima Virgo,
Quæ lachrimans terram rigat ſimul æthera complet,
Ad natum conuerſa ſuum,quis lumina clara
Nate tua obſcurata tenet?quæ dira procella
Me miſeram inuoluit;ſubito miſeranda ruina?

Vnde

Vnde mihi venit? quis te mihi caſus ademit
Cauſa meæ vitæ, cœleſtis fontis origo.
Principiumque ſacrum tantum potuere Tyranni?
O decus, o lumen, fulgentis gloria cœli,
Aſtriferique poli ductor, moderator & orbis
Solus, & Omnipotens, vbi ſunt inſignia Regis
Maieſtaſque Dei, caput in cœleſtibus oris
Laudibus ornatum; quare nunc ſpina retorquet
Crudelis, quare penetrant ſacra tempora ſentes.
O placidos vultus, oculos, pallentiaque ora
Hoc nutrita ſinu, miſeris geſtata lacertis
Saucia membra meis, potuere figere claui
Vos ne manus Sanctę? ſolitæque fugare venenum.
Nate decus cœli, quo fugit clara figura
Et niue candidior, nitidis formoſior aſtris.
Attellus ingenti ſubito perculſa tremore.
Funditus intremuit, ruere omnia viſa repente:
Cum ſonitu rapido, tenebras volitare per aureas
Suſpiciunt pauci; timuere ſæcula noctem.
Necnon inſoliti terris elementa pauoris
Signa dedere ſui, lugentia funera Chriſti.
Denique Sanctorum ſciſſis abiere ſepulchris
Corpora, clara nouo, & ſimili perterrita caſſu
Cuncta mouebantur, confractaque ſaxa dolore.
Attoniti nouitate rei, lachrimemur & ipſi
Pectora cædentes, gemitu celebremus honores;
Cordaque rumpamus, decorantes funus acerbum
Fletibus aſſiduis, fieri ſibi talia chriſtus
Imperat, atque animis properemus ad aurea Regna.
Quare agite & quidquid peccati in corde remanſit
Pellite, & antiquas effuſſo abſtergite labes
Sanguine, odoriferæ cœleſtia Carpite poma
Arboris, ac domino mentes animoſque parate.

VT Sedet arbutea cignus ſub fronde canorus,
Mille ſonans querulo dulciter ore modos.
Vt gemit herboſo triſtis philomela ſub antro,
Saucia cum luctus promit amore ſuos.
Tollit vt ad ripas cantus vocalis Aeon,
Cum fluuius ſtrepitus addidit ipſe ſuos.
Sic ego te lachrimis exul bone chriſte requiro,
Quis mihi det votis accubuiſſe meis.
Donec in exilio patria ſemotus ab illa
Vixero, erunt lachrimæ potus, & æſca mei.
Nullaque ceſſabit triſtes lira promere queſtus,
Suſpirare quies plangere carmen erit.
Quando erit illa dies cum te mea vita videre
Diter, & hoc ſemper ſpes mea poſſe frui.
Totus vt igne tuo te te liquefactus amarem,
Vt iam vita mihi non niſi amara foret.
Ad te confugio rerum dulciſſime Ieſu,
Quando dabis ſeruo gaudia vera tuo.
O amor immenſus, pietas mirabilis omni
Tempore, Rex ſerui ſeruus amore ſui eſt.
Eripe captiuum Rex vincula carceris huius
Rumpe; quid immenſas protrahis vſque moras?

AD BEATISSIMAM VIRGINEM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. Antonianum.

ASTrorum decus es, ſuperi laus inclita Regni,
Et veteres tuoties quam cecinere tubæ.
Aduerſum ſtyginm tua dextera militat hoſtem,
Nec vacat officio ſegnis inerſque pio.

Te vo-

Te vocat ad Medum tendens Mercator Hidaſpem,
Seu crebro tortas vortice tranat aquas.
Et qui letali traiectus pectora ferro,
Hoſtilem moriens corpore plangit humum.
Et qui complexu laceratæ membra carinæ,
Laſſa procelloſis corpora iactat aquis.
Quique ſedet duris religatus crura cathenis,
Ipſe ſuam cæco carcere peſcit opem.
Audis, & ex celſo requiem concedis olimpo,
Quamlibet æratas non timet ille fores.
Singula quid referam?per te miteſcere chriſtum
Cernimus,offenſi cum tonat ira Dei.
Sæpe tuis precibus genitor ſua tela reponit,
Fulmina cum celſa torquet ab arcepoli.
Ergo cum totus ſe ſe tibi debeat Orbis,
Cum celebrent nomen fœmina virque tuum.
Virgo precor miſerere animum,& ſolare dolentem,
Et ſolitam duris caſibus affer opem.
Eripe me ventis,& habenti nubila ponto,
Inſidum raucis nam mare feruet aquis.
Quaſſatamque ratem pelagi indignantibus vndis,
Fac precor in portus aura ſecunda ferat.

AD CHRISTVM NATVM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Card. S. Clementis.

SI Rex es cœli?tua ſunt vbi Regia ſceptra?
Si bonus es Paſtor dic vbi agreſte pedum?
Si dux es terræ tua ſunt vbi bellua ſigna?
Si Deus es?rutilum dic vbi fulmen habes?
Sic ego, ſic tacitus viſus mihi dicere Chriſtus,
Sceptra,pedum,ſignum, fulmen, obrumbat amor.

Ad Illuſtriſſimum Principem Cardin. Ieſualdum.

QVid non tentat amor radiantibus aureus alis,
Quo ruit ætherea tractus ab arce Deus.
Facta merent noſtri primi genitoris Adami,
Naſcitur Omnipotens vt mea damna luat.
Naſcitur vt poſſint illo naſcente renaſci,
Quæ vitijs penitus corda ſepulta iacent.

AD PASTORES.

Ad Illuſtriſſimum Principem Cardinal. de Medicis Archiepiſcopum Florentinum.

PAſtores, quæ cauſa moræ? properate viciſſim,
Viſite iam natum ruſtica turba Deum.
Ferte, Agnos, hædos, & præſſi munera lactis,
Et pto purpureis lilia ferte roſis.
Cur puero placeant paſtorea munera nato,
Queritis? iſte puer Paſtor vbique fuit.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM.

Ad Illuſtriſſimum Principem Cardinal. Sauli.

ALma parens hominum ſuperas Regna per auras,
Quæ geris ardenti ſceptra coruſca manu.
Cuius ad os oculoſque domus ſtupet alta Tonantis,
Et ferit auratas inclita turba liras.
Cuius ad excelſos phæbi rota fulgida vultus;
Amittit radios lumine victa ſuos.
O decus, o ſummi nitidiſſima ianua cœli,
Ianua quæ facilem pandis ad aſtra viam.

O iubar

ANGELVS ALLOQVITVR CHRIſtum in horto.

Ad Illuſtriſſimum D. atq. D. Marcellum Aquauiuam Archiepiſcopum Hidruntinum.

NAte Dei, Deus ipſe, Dei de lumine lumen;
Omnipotens cœlum æterno qui lumine complet;
Pollentique manu vertit, qui frugibus almam
Tellurem arboribuſque, & læto gramine veſtit.
Ad te ſtellifero nunc me dimiſit olimpo.
Quando homines pronos in humum, & cæleſtium inanes;
Quoſdam opibus, quoſdam miſera ambitione teneri
Vanaque ſectari perituraque gaudia vitæ
Viderat excelſa reſidens in vertice cœli.
Chriſte malo tanto propria nunc morte medendum;
Te decet humanas reuocare ad ſidera mentes,
Cæleſtique illas ſplendenti accendere luce.
Tu reſerare fores cæli, quas clauſit Adami
Culpa vales, ſæui confringes ſceptra Tyranni.
Qui genus humanum Imperijs oppreſſit iniquis.
Peccati mortiſque furorem ferre coegit.
Ilicet immanes hoſtes ſub tartara mittes,
Cuſpidis ingentis poſtquam toleraueris ictus.
Et clarum duces deuicta morte triumphum.
Hoc patris æterni manet æternumque manebit
Iuditium, tu morte Crucis depellere tetra
Crimina ab Orbe potes, audendum Chriſte bonorum
Principium, qui vera patris celeſtis Imago es;
Conſcius æternæ mentis, magnique miniſter
Conſilij, ſummus Deus ipſe, deique propago.
Tu Princeps generis Sancti, tu prolis origo
Aeterne, interpres hominum, tu pacis, & auctor.
Pacis quam nunquam deleuerit vlla vetuſtas.
Namque tuo æternum Sancitis ſanguine fœdus

Quod

Quod tandem impune delebit crimina mundi,
Dauidis ſolium confirmans,iuraque Sanctis
Dans populis,ſummoque regens moderamine cęlum.
Poſtquam ergo tenebras letumque ex Orbe fugabis;
Summa quies mentes hominum ac æterna tenebit,
Qui tantam lucem aſpicient,cum numen adorent
Chriſte tuum,atque pijs aris pia thura reponent.

AD SANCTVM FRANCISCVM.

Ad admodum Illuſtrem D. atque Dominum meum Petrum Ximenez de Murillo.

VIderat ætherea ſuperùm Regnator ab arce
Mortales pronos in humum,& cæleſtium inanes,
Diuinorum operum immemores,propriæque ſalutis,
Quoſdam opibus,quoſdam miſera ambitione teneri,
Vanaque ſectari perituraque gaudia vitæ.
Quæ magnus pater aſpiciens in vertice cęli
Conſtitit,atque imis defixit lumina terris.
Eſt locus Italiæ,qua ſe iuga celſa Lauernæ
Attollunt Tuſcæ,deſerta, & inhoſpita ſedes.
Hic Iuuenis fugiens,& opes,& tecta parentum
Splendida,tranquillam atque inopem ſine crimine vitam
Ducebat,ſiluaſque colens atque inuia teſqua,
Mente peragrabat ſummi penetralia cęli.
Cum ſubito Deus ipſe Deus ſub luce refulgens
Pura ſe ſe offert, quæque in Cruce vulnera quondam
Aſpera pertulerat, iuuenili in pectore preſſit.
Fixa manet pedibus,manibus,lateri quoque plaga;
Redditaqne eſt terris chriſti morientis imago.
Sic Deus humanas reuocare ad ſidera mentes
Cæleſtique iterum voluit ſuccendere luce.
Inclitus,& totum Sanctus Franciſcus in Orbem
Spargitur,& factis,& paupertate coruſcans.

Qua